

AB

154195

C. e. 50

St. Graec. in Oct. N. 102.

~~113~~  
II 2. c. (Nomen Lat.)


~~114~~ 113



V. V. V.  
10: Krause  
02.

ov w

sb



GEOR

GII TRAPEZON-  
ti viri ætatis suæ do-  
ctissimi Dialectica  
brevis, sed iudi-  
cio omnium  
eruditorum  
abso-  
lutissima, in gratiam  
studiosorum de-  
nuo nuper  
excusa.

COLONIAE.  
apud Io. Sore.  
Anno 1524.

QVAE HOC VOLVMBINE  
CONTINENTVR.

De Enunciatione.

De quinque uocibus, id est prædicabilibus.

De prædicamentis.

De Syllogismo categorico, id est prædicatiuo.

De Syllogismo hypothetico ac conditionali.

De Enthymemate, id est syllogismo imperfecto.

De Diffinitione, ac Diuisione.

De Thesi, nequid aut dicendo, aut scribendo absurdum pugnansue dicatur.

GEORGII TRAPEZONTII  
DIALECTICA.



**D**IALECTICA EST DI-  
ligens differendi ratio. Differe-  
re uero nemo poterit diligēter,  
nisi quæ inuenerit, dicendaq; iu-  
dicauerit ea si coniunxerit, ut il-  
lis datis, quod intendit necessa-  
rio consequatur, quam orationem Græci syllo-  
gismum dicunt, Latini uero ratiocinationē ap-  
pellare possunt. Ea propositiōibus constat. Oīs  
propositio si simplex est, duobus terminis, subie-  
cto atq; prædicato connectitur. Quoniam ergo  
syllogismorum elemēta sunt, ex quibus constāt,  
& ad quos resoluuntur (nec enim componēdo  
altius repetere, nec resoluēdo longius abire pos-  
sumus) de his primum dicamus. Verum diale-  
cticorum more, ut de quo termino sermo nobis  
habetur intelligas, uocem in significationes su-  
as primū diuidamus. Termini ergo, locorū fi-  
nes appellati sunt, qui locum a loco distinguant,  
atque separent. Vnde Græci similitudine ducti,  
ὄρους, id est, uerbum de uerbo, terminos, diffini-  
tiones appellarunt. Disiungunt em̄ atq; dissepa-  
rant diffinitiones uniuscuiusq; substantiam cū  
differentias tanq̄ terminos genere adijciunt. Ter-  
minos etiam simplicis propositionis partes dici-  
mus, uel quoniam significatione quasi conscri-  
ptam

Termini signi-  
ficationes.

## DIALECTICA

ptam rem ostendunt quam significant. Hinc est quod rerum nomina implicitas definitiones, & definitiones explicita nomina rerū, multi ac clarī philosophi solēt appellare. Terminū ergo quē hic dicimus, propositionis partem intelligimus, quē ita definit Aristoteles. Terminus est in quē resolvitur propositio. Est autem omnis terminus uel complexus uel incōplexus. Complexus est oratio imperfecta, quæ constat multis simplicibus terminis, ut scientia iuris civilis. Incomplexus, ut homo, scientia, ut facit, currit. Incomplexus autem simplex terminus omnis, aut nomen est, aut uerbum, & aut infinitum, aut finitū. Nomen est uox ex institutione hominum sine tempore significans, cuius nulla pars seiuncta separatā significat. Verbum est uox ex institutione hominum cū tempore significans, cuius nulla pars seiuncta separatā significat. Infinita uero nomina uel uerba, sunt quibus negatio adiecta est. Finita quæ absq; negatione proferuntur. Finita, ut homo, animal, legit, sentit. Infinita, ut nō homo, non animal, non legit, non sentit. Nomina igitur appellat Aristoteles quæ nominatiuo casu efferruntur, quemadmodū uerba ea quæ solum indicant præsens tempus. Cætera casus nominū & uerborum esse asserit, ut hominis homini, agebas agebat, agerem agere. Oratio est institutione hominum significans, cuius aliqua pars seiuncta separatā significat. Orationum quinque sunt genera,

nera,



## TRAPEZONTII.

nera, Enunciatiua, Imperatiua, Deprecatiua, Interrogatiua, Vocatiua. Vocatiua, ut heus (inquit) iuuenes monstrate mearum Vidistis si quam hic errantē forte sororū. Interrogatiua, ut, Sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris? Quouē tenetis iter? Deprecatiua, ut, Sic pater ille deū faciat, sic altus Apollo Incipiat conferre manū. Imperatiua, ut, Disce puer uirtutē ex me uerūq; laborē, Fortunam ex alijs. Enunciatiua, ut, Stat sua cuiq; dies, breue et irreparabile tēpus Oībus est uitæ, sed famā extendere factis, Hoc uirtutis opus. Item, Nescia mens hominū fati fortisq; futuræ, Et seruare modum rebus sublata secūdis. Harum omnīū sola enūciatio uerū a falso discernit, Quare sola huius negocij est, nam cæteræ ad rhetoricā magis uel poëticā doctrinā pertinere uidentur. Enunciatio uero alia simplex, alia coniuncta est. Coniuncta ex simplicibus constat, ut si homo est, animal est. Simplex uero enunciatio, est oratio quæ aliquid esse uel non esse significat, secundum quod ipsa tempora diuisa sunt, ut, hō est animal. Omnis igitur oratio qua necesse est aliquid de aliquo uel asserere uel negare, si ut uel esse, uel non esse significat, consideratur, Enunciatio dicitur. Sin ut uerum uel falsum, propositio appellatur. Est enim propositio oratio, quæ uerum uel falsum significat. Propositionum quædam categoricæ nuncupantur, quas prædicatorias Latine appellare possumus. Quædam

Vocatiua.

Interrogatiua.

Deprecatiua.

Imperatiua.  
Enūciatiua.

Propositio.

A 3 hypothe.

## DIALECTICA

hypotheticæ, quæ conditionales nominantur.

**Prædicatoria.** Prædicatoria propositio est, quæ duobus terminis constat, subiecto prædicatoq;. Subiectum est de quo aliquid dicitur. Prædicatum est quod dicitur de aliquo, ut homo est animal. Subiectus terminus nunquã maior, sed æqualis uel minor prædicato semper est. Prædicatus uero terminus uel uerbum est, ut homo currit, uel nomẽ simul cum uerbo, ut dies serenus est. Præterea tã subiectum quã prædicatum cõplexos terminos possunt cõtinere, ut scientia iuris ciuilis est res utilis. Omnis prædicatoria propositio, uel affirmatiua uel negatiua est. Affirmatiua est alicuius de aliq; enunciatio. Negatiua est alicuius ab aliquo enũciatio. Propositionũ alia sunt uniuersales, alia particulares, alia sunt indefinitæ. Uniuersalis est quæ aut omni, aut nulli inesse significat, ut omnis homo currit, nullus homo currit. Particularis est quæ alicui, aut nõ alicui inesse significat, ut aliquis homo currit, aliquis homo non currit. Huic singularẽ annectimus, ea est si dicas. Cicero disputat, hic audit. Indefinita est quæ absq; uniuersali atq; particulari aut esse aut non esse significat, ut homo legit, homo non legit. Hic illud dicẽdum est, huiusmodi uoces, omnis, nullus, aliquis, quidã, iuniores signa, priscos syncategoremata appellare, quoniã terminis adduntur, ipse uero termini non sunt. Ad hæc propositionũ quædã cõtrariæ, quædã subcontrariæ, & alia subalternæ, alia

Uniuersalis.  
Particularis.

Indefinita.

## TRAPEZONTII.

aliæ contradictoriæ nominantur. Vniuersalis si-  
gitur affirmatiua & uniuersalis negatiua, in qui-  
bus eadem omnino subiiciuntur ac prædicantur,  
inter se contrariæ sunt. Particularis uero affirma-  
tiua & negatiua, in quibus eadem omnino sub-  
iiciuntur ac prædicantur, subcontrariæ dicuntur.  
Vniuersalis uero & particularis affirmatiuæ, &  
similiter duæ negatiuæ, subalternæ dicuntur. Cū  
uero quantitati quantitas, & qualitati opponi-  
tur qualitas, eisdem subiectis & prædicatis, cōtra-  
dictoriæ nominantur. Quare uniuersalis affirma-  
tiua, & particularis negatiua, ac rursus uniuers-  
alis negatiua, et particularis affirmatiua, in qui-  
bus eadem omnino subiiciuntur ac prædicantur,  
sibiipsis contradicunt. Harum propositionū si  
cui negatio præsertim uniuersali signo præponit  
sunt cōtradictoriæ, si postponit, cōtrariæ, si uero  
eidē & præponitur & postponit negatio, subal-  
ternæ uim & potestatem possidet. Quam  
rē iuniores propositionum equipollē-  
tiā appellare solēt. Verū de oppo-  
sitiōe propositionū satis, nūc  
de natura dicamus.

A 4 Omnis

Contra-  
riæ.

Subcon-  
trariæ.

Subal-  
ternæ.

Contra-  
dictoriæ.

# DIALECTICA

Omnis ho-  
mo currit.

Contrariæ.

Nullus ho-  
mo currit.

Subalternæ.

Contra-

Contra-

di-

storiæ.

storiæ.

Subalternæ.

Quidã ho-  
mo currit.

Subcontrariæ.

Quidã hō  
nō currit.

**Contrariæ.**

**Subcontr.**

Propositionum igitur quas contrarias appel-  
lamus, ea natura est, ut cum nunquã simul ueræ  
inueniri possint si una uera est, falsam necessario  
alterã ostendat. Neq; retro uertere licet, nec em̄  
si alterutra falsa est, idcirco quæ relinquitur erit  
uera, Nam falsas simul esse in ijs rebus compre-  
hendimus, quas contingētes appellant, ut om̄is  
homo sedet, nullus homo sedet, Subcontrariæ  
uero, contrario se modo habent, nam cum falsæ  
simul esse non possint, ueræ possunt. Quare falsi-  
tas unius, ueritatem alterius ostendit, sed ueritas  
falsitatem minime. Possunt em̄ ambæ simul ueri-  
tatem

## TRAPEZONTII.

tatem in contingentibus rebus complecti, ut aliquis homo sedet, aliquis homo non sedet. In subalternis si particularis falsa est, uniuersalis falsa est, nec retro agere licet. Vera enim esse potest particularis, cum uniuersalis est falsa, ut aliquis homo sedet, omnis homo sedet. Si autem uniuersalis uera est, & particularis necessario, nam si ois homo est animal, et aliquis homo animal est. At contradictoriae semper uerum a falso seiungunt & separant, nam si una ipsarum uera est, falsam alteram, si falsa altera, reliquam ueram esse, necesse est. His ita breuiter dictis, nunc de conuersione propositionum dicendum esse uidetur. Conuersio igitur est, cum propositionis subiectus terminus in praedicatum, & praedicatum in subiectum transponitur. Ea est triplex. simplex, per accidens, per contrapositionem. Simplex est cum termini quidem transponuntur, quantitas uero & qualitas eadem omnino remanet. Hoc conuersionis modo uniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua uertuntur. nam si nullum animal est, nihil eorum quae sunt animal est, & si aliquis homo currit, currens utique aliquid homo est. Per accidens autem est conuersio, cum transpositis terminis qualitas eadem manet, quantitas mutatur, hoc modo tam uniuersalis affirmatiua quam negatiua conuertuntur. Nam si omnis homo est animal, & aliquod animal hominem esse necesse est. Et si hominum nemo uolare potest, eorum certe quae uolare possunt, quicquam

Subalter.

Contradictoriae.

Conuersio.

Simplex.

Per accidens.

## DIALECTICA

per con- quicquam homo non est. Per cōtrapositionem:  
traposi- conuersio fit, cum quātitas quidē & qualitas ca-  
tionem. dem manet, termini uero transpositi in infinitos  
commutantur. Hoc modo conuertuntur uniuersalis affirmatiua & particularis negatiua, nam si omnis homo spirat, quicquid nō spirat, est nō homo, & si aliquis homo non sedet, quippiā qđ non sedet non est non homo. Harum conuersionum ista natura est, ut cum eadē maneat quātitas, si una est uera uel falsa, & altera. Cum uero mutatio quantitatis fiat, uera semper in uerā cōuertitur. Falsa uero in qua superiora subiiciuntur, quoniā ex conuersione mutata quantitate recta fit prædicatio, in ueram necessario conuertatur, ut aliquis homo animal est, cum tamē, omne animal homo est, uera non sit. Hæc de prædicatoria propositione, delibasse sufficiat.

### DE PRÆDICABILIBVS.

**N**Vnc breuiter (ut instituumus) dabimus operam ea primo exponere quæ græci uoces, Latini prædicabilia solent appellare. Deinde de prædicamentis, quas categorias Græce dicimus, & de prædicatorio syllogismo pauca admonebimus. postremo de propositione hypothetica, & syllogismo, & de diffinitione & diuisione differemus, nec omnino ea præcepta contemnemus, quæ eius rei, quam iuniores obligationem uocant, uim & naturam complectuntur.

Predicabile,  
Prædicabile igitur est terminus, qui de pluribus uniuoce

## TRAPEZONTII.

uniuoce potest prædicari. Vniuoca dicuntur quorum Vniuoca.  
 nomē cōmune est, & ratio substantiæ secundum  
 id nomē eadē, ut animal hō atq; bos. nā utraq;  
 animalia nūcupant. Et si quis assignet utriusq;  
 rationē inquantū animal est, utrunq; animatū,  
 substantiam quæ sentiat & moueatur esse affir-  
 mabit. Aequiuoca sunt quorū nomē quidē com Aequi-  
 mune, sed ratio substantiæ secundū id nomē nō uoca.  
 est eadē, ut canis in aquis, in terris in cœlo, no-  
 mine quidem idē, re autem atq; substantia diuer-  
 sa sunt. Prædicabilia quinque sunt. Genus, Speci-  
 es, Differētia, Propriū, & Accidens. Genus, est Genus.  
 quod de pluribus differentibus specie in eo quod  
 quid est, uniuoce prædicat. Id duplex est, nā ali-  
 ud genus generalissimū, aliud genus subalternū  
 appellat. Generalissimū est, quod cum sit genus, Genera-  
 non potest esse species, uel supra quod aliud ge-  
 nus minime inuenitur. Quæ sunt decem genera-  
 rerū omnium, de quibus postea dicemus. Subal-  
 ternum, est quod cum sit genus, est etiam speci-  
 es. Huiusmodi sunt omnia quæ inter specialissi-  
 mas species, & generalissima genera semper in-  
 ueniuntur, & ad superiora quidem relata spe-  
 cies sunt, inferioribus uero accommodata, gene-  
 ra, ut animal, animati quidem corporis species,  
 hominis uero aut bouis genus. Species, est quæ Species.  
 ponitur sub genere, uel species est quæ de pluri-  
 bus differentibus numero in eo quod quid est,  
 uniuoce prædicatur. Ea est duplex, nam  
 aliam

## DIALECTICA

- aliam specialissimam, aliam subalternam dicimus.
- Subalter.** Subalterna est, quæ inter generalissimum genus, & specialissimam speciem posita est. Superioris species, inferioris genus semper inuenit, ut animal.
- Specialissima.** Specialissima est quæ cum sit species, non potest esse genus, ut homo, bos. Hæ specialissimæ species non in species amplius, sed in individua scinduntur, ut Cicero, Aristoteles. Differētia, est qua
- Differētia Cōmunis.** res inter se differunt. Ea est triplex. Communis, Propria, specifica. Communis est quæ separabilis est, Ita dicimus album hominem a nigro differre. Propria est quæ cum inseparabilis sit, inest tamen per accidens, ita coruus nigredine a cygno differt. Specifica est quæ de pluribus differentibus specie uel numero in eo quod est quale
- Propria.** essentiale uniuoce prædicatur, uel differentia, est qua abundat species a genere. Hanc solam in numero quinque prædicabilium accipimus, quæ duplex est, diuidens & constituens. Diuidentem appellamus qua genus diuiditur, ut substantia quædam corporea, quædam incorporea. Constituentem appellamus, quæ generi addita speciem constituit, ut animalium aliud rationale aliud irrationale. Nam si animali addas irrationabilitatem, speciem quandam constitues, quam si nomine caret, aut mente sola concipies, aut etiã (nec em̄ de rerũ uocabulis sollicitari debet philosophus, sed dare semper operam diligēter ut natura rerũ apertius pateat) ficto aut nouo uerbo quam



## TRAPEZONTII.

quam commodissime poteris nominabis. Sunt ergo specificæ differentiæ, quæcunq; aliam faciunt speciem, quibus ad diuisionem & definitionem specierum maxime opus est. Propriũ quatuor modis accipit. Nã quicquid soli accidit speciei & si nõ omni sub ea, neq; semper proprium dicitur, ut homini medicum esse, & quod omni accidit & semper, & si non soli, ut hominem bipedem esse. Et quod omni & soli sed non semper, ut homini canescere in senectute.

Proprium.

Et quod omni & soli & semper inesse potest, ut risibile homini. Et hoc modo Proprium in quinque uniuersalibus connumeratur, quod etiam sic definiunt. Propriũ est quod de pluribus differẽtibus numero uniuoce in eo quod est quale accidentale, sic prædicatur, ut uertere liceat, ut ois homo est risibilis, & quicquid risibile est, homo est. Accidẽs est, quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem. Huius aliud est separabile, ut dormire, sedere, aliud inseparabile, ut nigredo corui & Aethiopis. Quæ si separatim non inueniatur, tamen si abesset, non inferret coruo aut Aethiopi corruptionem, quod a iunioribus etiã sic definiri solet. Accidens est quod de pluribus prædicatur in eo quod quale accidentale non conuertibiliter. quod aut uoces (ut Græci dicunt) quinque sint numero, hinc maxime perspicuum est, quod omne quod de alio dicitur, uel accidens ei est, uel substantiale. Si accidens, aut

Proprium.

Accidens.

Cur quinque uoces breuis ostensio.

conuertit

## DIALECTICA

conuerti prædicatio potest, & habetur propriã aut non, & habet accidens. Quod si substantialis prædicatio est, id est si quod prædicatur essentia inest subiecto, uel in eo quod quid, uel in eo quod quale dicitur, quod ut qualitas dicitur cū per essentiam inest, differentia est. Quod in eo quod quid, si de pluribus differentibus specie, genus est, sin de differentibus numero, species est. Itaq; cum sint quinque prædicabilia, Genus, Species, Differentia, prædicationē eam faciunt quæ essentialis, & substantialis. Accidētis ac Proprii prædicatio, accidentalis appellatur. Nunc quoniam de quinque uocibus dictum est, de prædicamentis breuissime (ur instituimus) dicendū uidet̃.

### DE PRAEDICAMENTIS.

Prædicamentū.

**P**Rædicamentum igitur, est terminorū, qui secundum nullam complexionem dicuntur natura rerum coordinatio. Et sunt decem, Substantia, Quantitas, Qualitas, Adaliquid, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, Habere. Eorū quæ sunt, quædam dici de alijs possunt uti de subiecto, quædam non possunt. Item eorū quæ sunt, alia in subiecto sunt, alia non. In subiecto dicitur esse, quicquid cum in aliquo sit sine eo esse non possit, & tamē non est pars eius, ut albedo in corpore. Quare quod in alio non est, substantia est. Quæ uero de alijs ut de subiecto dicuntur  
uniuersalia

TRAPEZONTII.

uniuersalia sunt. Que dici de alijs nō possunt, singularia sunt. Substantiam in primā & secundā partitur Aristoteles. Prima est que neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, ut hic homo, hic bos. Secunda est que de subiecto quidem dicitur, sed in subiecto non est, ut homo, bos. Quando alterū de altero, ut de subiecto predicat, quecūq; de predicato dicunt, omnia etiam de subiecto dicuntur. Nam cum animal de homine, ut de subiecto dicatur, substantia (cum de animali dicitur) etiam de homine dicitur, quod in ipsa serie predicamenti apertius comprehenditur.

Substantia.

SVBSTANTIA.

Corporea.

Incorporea.

CORPVS.

Animatum.

Inanimatū.

CORPVS ANIM.

Sensibile.

Insensibile.

ANIMAL.

Rationale.

Irrationale.

ANIMAL RATION.

Mortale.

Immortale.

H O M O.

Antonius

Cicero.

Augustinus

## DIALECTICA

Substantia non suscipit magis & minus, nulla enim hoc ipsum, quod est magis uel minus dicitur nec ei quicquam contrarium. Verum hæc ita substantiæ propria sunt, ut ei cum quibusdam alijs communia sint. Illud maxime proprium, cum una & eadem numero sit, contraria uicissim suscipiat, ut homo nunc albus, deinde niger. De substantia quidem satis. Quantum autem est quod diuiditur in ea quæ insunt, quorum utrunque uel singulum, unum quid & hoc aliquid innatum est esse.

**Quantum.** Quantitas alia continua est, alia discreta. Continua est cuius partes communi quodam termino coniunguntur. Eius species sunt. Linea, Superficies, Corpus, Motus, & Tempus. Sic enim princeps ille philosophorum ac pene solus philosophus, in quinto primo philosophiæ partitur. In Categorijs motum neglexit, locum posuit. Locus tamen ut a physico auditu colligitur, superficiæ species est. Quare patet aut alios secutum, locum a superficie separasse, aut ipsam trinam dimensionem non ut in corpore, sed potius in uacuo intellexisse. Continuatorum per se quidem sunt, Linea, Superficies, Corpus. Per aliud uero quanta sunt quæ insunt quantis, ut motus, & tempus, nam & si hæc ad ea quæ per accidens quanta sunt, philosophus reducat, ut album quantum, quia superficies alba, differenter tamen, quod hæc huius sunt predicamenti. Discreta quantitas est cuius partes nullo communi termino coniunguntur. Eius species sunt,

**Quantum.**

**Eius partitio.**

**Laus Aristotelis.**

## TRAPEZONTII.

sunt, Numerus, & Oratio. Item eorū quæ quā  
ta sunt, quædam constant e partibus quæ inter  
se positionem habent, quædam uero minime.  
Dicuntur autem habere positionem, quæ nō so-  
lum continua sunt, uerum etiam in loco sita per-  
manēt, quæ maxime oīm quanta dixerim hmōi  
sunt, linea, superficies, corpus, numerus. Quan-  
titati similiter ut substantiæ, nihil est contrariū,  
sed illud maxime proprium eius, secundum eā  
æquale aut inæquale dici. Qualitas est secundū  
quā quales esse dicimus. Eius quatuor sunt spe-  
cies, affectio & habitus, naturalis potentia uel  
impotentia, passio uel passibilis qualitas, for-  
ma uel figura. Inter affectionem & habitū hoc  
interest, quod affectio & facilius imprimitur, et  
citius cōmutatur, ut cum calore, aut frigore aut  
sanitate, aut alijs huiusmodi, homo afficitur. Ha-  
bitus uero permanētiōr & diuturnior est, ut uir-  
tus, ut scientia & similia. Quare perspicuum est,  
habitum omnem esse dispositionem quandam  
atque affectionem, uel quoniam afficit quodam  
modo, & disponit habitus, id cuius est habitus,  
uel quoniam temporis prolixitate innatæ quasi  
fiunt affectiones quædam, & in habitum trans-  
feruntur. Naturalis potentia uel impotentia di-  
citur uis quædam insita uel imbecillitas, qua faci-  
lius quicquid aut ægrius uel pati uel agere natura  
potest, ut durū, molle, ualitudinariū, robustus,  
& quæ huiusmodi sunt natura insita, non aduenti-  
tia.

Quali-  
tas.

Affectio  
Habitus

Natura-  
lis potē-  
tia.

B

tia.

## DIALECTICA

- Passio.** **tia.** Passiões autem uel passibiles qualitates sunt non affectiones ipsæ, sed ea quibus affectiones efficiuntur, ut calor, frigus, albedo, nigredo, amaritudo, dulcedo, & similia, quæ non ideo passionibus dictæ sunt, quod subiecta earum quicquam ab eis patiantur, uerum quia sensus immutando afficiunt, ut amaritudo, dulcedo. Colores autem magis quod ex motione solent innasce nobis, sic appellati sunt, ut ex timore pallor, ex rubescencia rubor, quorum qui diutius permanent, qualitates dicuntur. Qui citius transeunt, passionibus. Nam qui rubet quoniam pudet, aut qui pallet quoniam timet, pati aliquid dicitur, rubeus autem aut pallidus non dicitur. **Figura.** Figura uero est, ut circulus, triangulus & huiusmodi. Magis & minus suscipit qualitas, sed non omnis, nec enim circulus aut triangulus alius alio magis id quod est. Quare id maxime proprium est qualitatis, ut secundum eam simile aut dissimile dicatur. **Ad aliquid.** Ad aliquid sunt quæcunque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud. **Relatiua.** Relatiuorum alia æquali quadam comparatione consistunt, ut simile, æquale, amicus. Alia maiore, ut pater, dominus. Alia minore, ut seruus, filius. Alia uoluntate, ut amic⁹, inimic⁹. Alia fortuna, ut dominus, seruus. Relatiua magis & minus suscipiunt, magis non omnia, sed quæ secundum qualitatem dicuntur, & quæ fortuna uel uoluntate consistunt. Item contraria nonnulla sunt, ut uirtus uirtus uirtus

## TRAPEZONTII.

tus uitio, disciplina ignorantia. Omnia uero inter se conuerti manifestum est. Pater enim filij pater, & filius patris filius. Sed oportet apte alterum alteri reddere, nā si quis dicit alam auis, quoniam alterum alteri non apte reddit, non poterit conuertere, Non enim in eo quod auis est, sed in eo quod alatum est, ala est. Casus sunt diligenter seruandi, ut doctrina docti, sed doctus doctrina doctus. Actio est qua cum quicquid agitur in eo quod subiicitur agere dicitur. Actioni sex partes subiiciuntur. Generare, Corrumperere, Augere, Diminuere, Alterare, Loco mouere. Horum singulis species subiecte, & indiuidua, hominem uerbi causa, uel hūc hominem generare, aut corrumperere. Crementi uero & diminutionis species sunt, in longum, latum, & profundum. Indiuidua hac longitudine, uel latitudine, uel altitudine id facere. Alterationis, calefacere, albescere, cæteraque huiusmodi. Extremi generis, aliqua specie secundum locū motus mouere, ut sursum, deorsum. Actio actioni nonnunquam contraria, ut incēdere, extinguere, quare magis ac minus suscipit, sed illud præcipue actionis in motu sit, Omnis enim actio in motu est, & omnis motus in actione seruatur. Passio est actionis effectus. Eius partes sunt, generari, corrumpi, & cæteræ quæ actionis esse dicebantur nō ut agunt sed ut patiuntur. Vbi est que a loci circumscriptione procedit corporis locatio, nō est eū idē locus et ubi.

Actio.

Passio.

Vbi.

B z Nam

## DIALECTICA

Nam locus est in eo quod capit, ubi uero in eo quod circumscribit. Huic categoriæ nihil est contrarium, quemadmodum nec loco. Et species ei<sup>9</sup>,  
**Quãdo.** loci spēs sunt nō ut locātis, sed ut locati. Quãdo, est quæ relinquitur ex tempore rerum affectio. Id diuiditur in præteritum, instans, et futurum, quibus nihil horum sit. Nam cum hæc tria tempora sint, quando tempus non est, sed affectio rei  
**Situs.** quæ fuisse, uel esse, uel futura dicitur. Situs est partium quædam positio ac ordinatio, qua stantia, sedentia, aspera, leuia, & huiusmodi dicunt. Eius species sunt accubitus, sessus, asperum etiã, & leue, non ut tactu iudicant, sed ut positione quadam partiũ inter se constituunt. Positio nō suscipit magis & minus, quamobrem nec contrarium, nec enim stare, aut sedere cōtraria sunt, ne uni plura contraria sint. Et quoniam de quocunq; dicitur unũ contrariorũ, & alterum, nam stare de nonnullis dicitur de quibus sedere recte  
**Habere.** non dicitur. Habere dicuntur circa quæ aliquid adiacet, haberi uero ea ipsa quę adiacent, huius species, armatũ esse, anulatum esse. Suscipit aut habere magis et minus, quia etiam contrarium, non ut habitum, sed ut priuationẽ, ut armatus, inermis, & cum multis modis dicatur, quos Aristoteles enumerat, sex sunt, habere qualitatem, ut disciplinam. quantitatem, ut proceritatẽ, quę circa corpus uel corporis partem sunt, ut uestẽ, anulum, membrum, ut manum habere, aut in  
uase



## TRAPEZONTII:

quæ, ut modium habet triticum. possessionem, ut domum, aut etiam uxorem, & uxor uirum habere dicitur, qui modus omnium alienissim<sup>9</sup> sit, nihil enim aliud q̄ simul habitare, ostendere uidetur. e quibus omnibus tertius solum modus huius est categoriæ. Opponi aliud aliq̄ quatuor modis dicitur, ut ad aliquid, quomodo duplum, dimidium. ut contraria sicut album, nigrum, uirtus, uicium. Vt habitus & priuatio, sicut uisus, cæcitas, auditus, surditas, motus, quies. Vt negatio & affirmatio, ut sedet, non sedet. Contraria sunt quæ in eodem genere posita, plurimum distāt, eorum alia mediata, alia immediata. Mediata dicuntur, quorum uidelicet alterutrum nō est necesse susceptibilibus inesse, ut album uel nigrum esse corpus quopiam necesse non est, poterit enim rufum uel flauum esse, Sanum uero aut ægrum esse necesse est animal, quare sanum & ægrum immediata sunt. priuari uero dicuntur, quæcunq̄ re ea careant quæ cum inesse nata est, si cum inesse potest nō inest, nec enim uel lapis uisu, uel puer dentibus antequam habere possit, priuatus esse dicitur. Prius et posterius quatuor modis dicuntur, natura, tempore, ordine, dignitate. Natura id prius est, a quo uerti non potest consequentia, ut si currit, mouetur, quia nō resro fit, si mouetur currit, mouere q̄ currere pri<sup>9</sup> est. Tempore autem, ut Romulus antequā Camillus fuit. Ordine, ut exordium in oratiōe. nar

Oppo-  
sitiō.

Con-  
traria.

Prius,

B 3 ratione

## DIALECTICA

ratione prius. Dignitate, ut homo brutis, consul  
prætor. His quintus accedit apud Aristotelem,  
quem etiam natura consistere opinatur, is est cū  
eorum quæ mutuo se consequuntur, unum alte-  
rius causa est, ut si homo est, uera est (qua homi-  
nem esse asserimus) oratio. Item homo et risibile,

**Simul.** pater & filius. Simul duobus modis tempore ac  
natura dicitur. Tempore simul, sunt quorum ge-  
neratio ac corruptio in eodem est tempore. Na-  
tura, quæcunq; se mutuo consequuntur, cū neu-  
erum alterius causa sit, ut duplum, dimidium. Et  
quæcunq; genus aliquod diuidunt, ut gressibile,

**Motus.** uolatile, animal diuidunt. Motus species sunt sex,  
generatio, corruptio, clementum, diminutio, al-  
teratio, loci mutatio. Et generatio corruptioni,  
& clementum diminutioni opponitur, ut quies  
in loco, mutationi quæ per locum est, cui etiam  
opponitur in cōtrarium locum mutatio, ut quæ  
ad inferiora est, ei quæ ad superiora est. Alterati-  
oni similiter, in qualitate quies motui opponit,  
qui uel ex eadem qualitate, uel in oppositam qua-  
litate est, ut in albedine quies ex albedine, uel in  
nigridinem motui opponitur. Verum de prædi-  
camentis satis. Nunc de syllogismo dicendū est.

## DE SYLLOGISMO.

Syllogismus.

*Definitio in qua  
quibusdam pro-  
positis & conuersis aliud ex his quæ posita sunt  
& conuersis inferuntur.*

Syllogismus est oratio in qua ex ijs quæ posita sunt aliud necessario cōsequitur. Syllogi-  
smorum quidā prædicatoriū, quidā conditiona-  
les.

TRAPEZONTII.

les, Prædicatorius est qui propositionibus constat prædicatorijs, qui si tribus enunciationibus absolvitur, perfectus est. si vero duabus, imperfectus est & enthymema. Hic perfectum, completum, et absolutum, imperfectum, incompletum, ac inabsolutum idem intelligimus. Syllogismus perfectus tribus constat enunciationibus & tribus terminis. Terminorum unum minorem, alterum maiorem, tertium medium appellamus. hos in syllogismo bis sumi necesse est, nam aliter e tribus terminis tres conficere enunciationes non possumus. Medius ergo est, qui cum bis ante conclusionem sumatur, in ea tertio repeti non potest. Maior vero is est, qui in conclusione prædicatur, Minor qui in cōclusionione subiicitur. Enūciationum, quibus syllogismus constat, unā maiorem propositionem, alteram minorem, tertiam conclusionem nuncupamus. Maior propositio est, quæ ex maiore & medio termino cōstat. Minor est quæ ex minore & medio termino cōstat. Conclusio est quæ præmissis duabus propositionibus maiore atq; minore, necessario consequitur, in ea cum recte infertur, maior terminus, cum non recte, minor prædicatur, quod quinque modis primæ solummodo accidit. Syllogismorum tres figuræ, Prima est in qua medius terminus subiicitur in maiore, & in minore prædicatur, quamvis contra fieri & soleat & possit. Secunda est in qua medius terminus semper prædicatur.

*In huiusmodi syllogismo, si unusquisque terminus prædicatur, perfectus est.*

Perfectus.

*medius 1.*

*maior 2.*

*minor 3.*

Figuræ tres.

*Medius*

*subiicitur in maiore*

*et prædicatur in minore.*

B 4 Tertia

*Medius terminus in utraque figura prædicatur in maiore & minore.*



*Modus minor in 3. subiectum in minor*  
maior

## DIALECTICA

Tertia est in qua medius terminus semper subiicitur. Quas ob res patet figuram nihil aliud esse nisi terminorum ordinē. Modus in syllogismo propositionū series est, et sunt omnes decem nouem, nouem primæ, quatuor secundæ, sex tertie figuræ. In prima ea uerba ponam⁹, quæ & uulgo feruntur, & totam hanc rem præ oculis ponunt. Nam & si barbariem quandam resonare uidentur, apertius tamen atq; breuius omnia tibi subiicient. Barbara, Celarēt, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisismo, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. In his (ut uides) uerbis, quatuor uocales reperiuntur, quarum A uniuersalem affirmatiuam significat. E uniuersalem negatiuam, I particularem affirmatiuam. O particularem negatiuam. Quare Barbara primum modum primæ figuræ, e duabus affirmatiuis uniuersalibus eiusdem & qualitatis, & quantitatis conclusionem inferre significat, ut omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Eodē pacto in cæteris omnibus ubi recte illata conclusio est, præterquam in quinque postremis primæ indirecte, in quibus minor terminus de maiore prædicatur in conclusione, ut uerbi gratia. Baralipton, omne animal est substantia, omnis homo est animal, quædam igitur substantia homo est. Cesare significat primo secundæ

## TRAPEZONTII.

cundæ figuræ modo ex prima uniuersali negatiua, secunda affirmatiua uniuersali, negatiuam uniuersalem inferri hoc pacto, nullus asinus est risibilis, omnis homo est risibilis, nullus igitur homo est asinus. In tertia figura per Darapti, ex duabus uniuersalibus affirmatiuis particularē affirmatiuam inferri hoc pacto, Quilibet homo ratione uti potest, & omnis homo est animal, quodam igitur animal ratione uti potest.  
 subst. as. hō.



BARBARA  
 subst. as. hō



BARALIPton

- O Nota signi Omnis.
- N Nota signi nullus.
- Q Nota signi aliquis.
- Q<sub>2</sub> Nota signi aliquis non.
- Z Cum sic conuertuntur,
- N Q<sub>2</sub> ut supra signatæ sunt, indirecte colligere designant.


Ex his palā est nihil ex duabus negatiuis uel particularibus euenire. Et quatuor conclusionum

genera, primis quatuor modis inferri, quorum etiam duo secunda, duo tertia figura concludit, illa dupliciter negatiuam, hæc similiter particularē dupliciter. Quare patet, semp conclusionē

B s deteriori


## DIALECTICA

deteriori propositionū inhærere. Sed figuras & modos syllogismoꝝ facile intellectas iri non dubito. Verꝝ quoniam quatuor primi modi primę figurę principatum inter alios obtinent, aliorū modorū omniū diligens ad eos solet fieri reductio. Ea fit duobus modis, per conuersionē ac cōmutationē propositionū, nōnunq̄ & p̄ impossibile, id ē cū ad cōtradictionē alicuiꝝ cōcessæ is, q̄ cū disputamus cōpelliē, ac p̄ cōuersionē qdē quo pacto fiat reductio, cōsonātibꝝ q̄ i uerbis iā scriptis sunt, breuiter p̄cipere possumus. Nā cū quatuor prię dictiōes ab B C D F incipiāt, quecūq̄ ab B incipiūt ŷba, ad primū, quæ ab C ad scđm Risibile. que ab D, ad tertiū, q̄ ab F ad quartū prię reducēdū esse significāt. Præ



alīnꝝ N. hō  
CESARE

rōe uti pōt. Q. aꝑ.



homo  
DARAPTI.

terea ubicūq̄ S litera scripta est, propositionē oñdit, quæ uocali signat, ea qdē que immediate præcessit, cōuertendā esse simpliciter. P uero litera per accidens, M autē propositionē quas p̄missas appellāt, sic rōe uti pōt. Q. aꝑ. immutādas significat, ut prima secundæ, secunda primę locum occupet. Quæ omnia ut apertius pateant, exemplis uti non alienum est. Fapesmo ad Ferio reducitur, cum ab eadem litera utraque dictio incipiat. Fiat ergo syllogismus in Fapesmo sic, omnis

TRAPEZONTII.

al' hō lapis



omnis homo animal est, at nul-  
lus lapis homo est, aliquod er-  
go animal lapis non est. Et quoniam  
P litera primæ syllabæ, S  
vero secundæ inhæret, prima  
propositio per accidens, secun-  
da simpliciter primo uertetur.  
Deinde quoniam M quoque a-

FAPESMO

lapis hō al'




scriptum est, altera in alterius  
locum transferenda est, sic, nul-  
lus homo lapis est, quoddam  
animal homo est, quoddam er-  
go animal lapis non est. Iterum  
eadem conclusio illata per pri-  
mam, in quarto modo est, &  
huius reductionis, quæ per cō-  
uersionem fit, proprium est eā-  
dem conclusionem, quemad-  
modum illius quæ per impos-

FERIO

sibile, dicitur, alicuius concessi contradictoriū  
inferre, uerum de ea post. Nunc alia exempla cō-  
geramus. Camestres in Celarent reducitur con-  
uersione simplici secundæ, quoniam S post uo-  
calem secundæ syllabæ sequitur, & transposi-  
tione propositionum, quoniam M scriptum in  
dictione est, ut, omnis homo animal est, nul-  
lus lapis animal est, nullus igitur lapis homo  
est, contendis non sequi, idque si aliquo illorum  
quatuor (quoniam probatiores sunt) inserere-  
tur,

## DIALECTICA

etur, nō dubitares. Præponas igit̃ secundā cōuer-  
sam simpliciter sic, nullū animal lapis est, omnis  
homo est animal, nullus ergo hō lapis est. Quæ  
cōclusio etiā si simpliciter cōuertat̃, erit illi eadē  
CELARENT



Hō N Lap.  
CAMESTRES

DARPTI.  
Hō Q aP.



DARII

CESARE  
Homo



FERIO

cui assentiri nō poteris. Itē dara-  
pti in Darij sic. Quicquid ridet hō  
est, quicquid ridet animal ē, quod-  
dā ergo animal homo est. Secun-  
da uertat̃ per accidēs, quoniā P  
post secundæ syllabæ uocalē con-  
sequit̃ sic. Quicquid ridet hō est,  
quoddā animal ridet, quoddam  
ergo animal homo est. Ac per cō-  
uersionē quidē reductio quomo-  
do fiat ex his patet. Per impossi-  
bile uero, secundæ figuræ quatu-  
or modi sic reducunt̃, primā pro-  
positionē reducēdi syllogismi pri-  
mā collocamus. In secūdo loco  
contradictoriū ponimus cōclusi-  
onis, ex quibus infertur contra-  
dictoriū secundæ propositionis,  
quæ iā concessa ac data fuit. Ita  
compellit̃ is, quo cū disputamus,  
uel asserere duo cōtradictoria si-  
mul esse posse uera, quod est im-  
possibile, uel priori conclusioni  
assentire, hoc igit̃ pacto primus  
secundæ in quartum primæ, Nul-  
lus la



## TRAPEZONTII.

lus lapis homo ē, quicquid ridet homo ē, nihil ergo quod ridet lapis ē. Huic conclusioni tu nō assentis, erit ergo contradictoriū eius uerū, quare fit syllogismus in quarto primæ sic, Nullus lapis homo est, aliquid quod ridet lapis est, aliquid ergo quod ridet homo non est. Dedisti autem quicquid ridet hominem esse, das ergo impossibile, id est duo contradictoria simul esse uera, sic igitur primus in quartum primæ, secundus in tertium, tertius in secundum, quartus in primum reducitur. Nam quoniam reducendi syllogismi maior, id est prima etiā in eo relinquenda in quem reducitur, deinde oppositum conclusionis in secundo loco ponendum est, primam syllabā, primæ syllabæ sumas eiusdem uocalis, & oppositum conclusionis secundæ syllabæ aptes diligentius, & uidebis apertissime in quem unusquisq; reduci debeat. Ex prima propositione igitur secundæ figuræ, & opposito conclusionis per hanc reductionem, oppositum secundæ iam datæ propositionis in prima figura infertur. In tertia uero, primo loco conclusionis oppositum collocamus, deinde ipsam secundam propositionem secundo loco adhibemus, ex quibus sequitur in prima figura primæ propositionis reducendi syllogismi uel contradictorium uel contrarium. Quare primo quanta & qualis sit contradictoria conclusionis considera, & uocali primæ syllabæ alicuius dictionis  
quæ

## DIALECTICA

quæ in prima figura sit sic accommoda ut secun-  
da propositio secundæ syllabæ cōueniat. Ita redu-  
citur Darapti in Celarent, Felapton in Barbara,  
Disamis in Celarent, Datisi in Ferio, Bocardo  
in Barbara, hoc modo primus in secundum, om-  
nis homo rationalis est, omnis homo animal  
est, quoddam igitur animal rationale est, cui si nō  
assentis, erit id uerū, nullum animal rationale est,  
**CELARENT** at omnis homo animal est, nul-



homo  
**DARAPTI**

**FERIO**



homo  
**DATISI**

id ipsum difficilium est & parum ad propositum  
nostrū, idcirco negligemus. Et hæc est quæ de  
reductione

lus ergo homo rationalis est. Sed  
omnem hominē esse rationale,  
iam datum ē, erunt ergo duo cō-  
traria simul uera, quod est impossi-  
bile. Item quartus in quartū, ois  
homo animal rationale est, aliquis  
homo albus est, quoddam ergo  
album animal rationale est. Quod  
si nō sit, ergo id est, nullum albū  
animal rationale est, aliquis hō al-  
bus est, aliquis ergo homo ani-  
mal rationale non est, sed datū  
est omnē hominē esse animal ra-  
tionale, dantur ergo duo cōtra-  
dictoria simul, quod impossibili-  
le est. Non ignoro duos quoque  
postremos primæ in Analyticis  
in duos priores cōuertī, uerum  
id ipsum difficilium est & parum ad propositum  
nostrū, idcirco negligemus. Et hæc est quæ de  
reductione

## TRAPEZONTII.

reductione diximus, magis ad excitanda ingenia  
quod ad dicendum multum pertineat, dicta sunt  
Hæc de predicatorio syllogismo sufficiant. Plura  
si quis uelit, ex aureo fonte hauriat, Aristotelis uo-  
lumina euoluat. Nos (ut instituimus) ad conditio-  
nalis præceptionem transeamus.

### DE PROPOSITIONE CON- DITIONALI.

**C**onditionalis propositio est quæ plurimum  
categoricarum iunctione conficitur. Ora-  
tio ea triplex est, quæ Si rationali particula<sup>Si</sup>  
que Vel disiunctiua, que copulatiua Et, aut parti-<sup>Vel</sup>  
bus consimilibus iungitur. Omnis conditionalis<sup>Et</sup>  
duabus partibus constat, Antecedente & Con-  
sequente. Antecedens est quo posito aliud sequa-  
tur necesse est. Si id cuius consequens est præces-  
serit, id etiam annexum appellatur. Hæc igitur par-  
tes in rationali quidem, quam & proprie condi-  
tionalem appellant, ordine quodam nature, in-  
ter se referuntur, atque ideo sic nobis descriptæ  
sunt. In copulatiua & disiunctiua non natu-  
ra, sed eius qui dicit iudicio disponuntur. Ra-  
tionalis siue conditionalis proprie, si negatiua  
est, uera ne an falsa sit, ex affirmatione, remota ne-  
gatione (ut omnes conditionales) cognoscitur.  
Nō si tu es homo, tu es asinus, hæc uera est, quoniã  
affirmatio falsa. Est autem negatiua hypothetica quæ-  
cunque

## DIALECTICA

cunq; negandi aduerbium, cōditionis particulæ statim præpositum habet, affirmatiua uera est, si consequentis oppositum antecedenti repugnat. Falsa uero si non repugnat, ut si homo ē, animal est, non enim potest homo esse, cum animal nō sit. Id præceptum, id dictum ad omnes quas iuniores consequentias, Cicero simplices conclusiones, Græci enthymemata appellāt, examinādas, recte ne consequantur an non, plurimū ualet. Est tamē & alia ratio qua, uera ne sit an nō rationalis, perspiciamus, & communis ei cum conclusione simplici, locorum uidelicet uis atq; natura, qua genus speciē sequitur, effectus causam, adiunctum id cui adiungit, & cætera, quæ aut seinuicem, aut una ex parte consequuntur. Quæ omnia rationis nota in cōditionali adiecta ipsarum rerum non solum uerum etiam ordine antecedunt, & consequuntur. Quare ut alii res hæc tota, pluraq; alia recte intelligantur, omnium locorum uis, ordo, differentia percipiēda. Hæc de rationali. Copulatiua uero ea est, si utraq; pars uera, falsa uero, si & utraq; pars ei falsa, & si altera falsa. Disiunctiua autem cū ueritas in eo consistat, ut semper pars altera uera falsa uel sit, cum ambæ non possint ueræ simul esse uel falsæ, necessario eas res semper continet, quarū alterā esse necesse est, ut esse nō esse, dies, nox, ægrotus, sanus, præterea uiuere, mori, uigilare, dormire, in aīalib; ceteraq; huiusmōi inter que

## TRAPEZONTII.

quæ tertium dari non potest, nam in alijs rebus  
conficta disiunctio, formam tantum disiunctive  
nō uim possidet. Quare disiunctiua uera, semp ne  
cessaria est, & uel cōtraria immediata cōtinet, uel  
pugnātia, sed non semper, pugnātia uerā disiū-  
ctiuā cōstituūt. Hæc enim falsa est, aut homo est,  
aut animal nō est, sequit̄ enim ex ea, quicquid ho-  
mo nō est, id animal nō esse, quod falsum est. Fal-  
sum autē ex uero sequi nō potest, quamuis uerū  
ex falso potest, quare in cōtrarijs, immediatis (ap-  
pellamus autē contraria, opposita omnia præter  
relatiua) in his igitur disiunctiua semper uera est,  
& in repugnantibus si termini sunt æquales. In  
terminis uero inæqualibus uidetur quidē, sed nō  
est, quod ut facilius dijudices, quid ponit attēde.  
Ponit enim disiunctiua omnis uel primā partē so-  
lam, uel primę partis oppositum per rationalem  
notam consequēti cōiunctā, uerbi causa, aut dies  
est, aut lux nō est. Hæc ponit uel diē esse, uel si di-  
es non est, lucem quoq; nō esse. Quod cū falsum  
sit, disiunctiua quoq; falsa est. Illud præterea tenē-  
dū est, e prædicatorijs ac simplicibus propositio-  
nibus quarum uterq; terminus nomē continet,  
conditionalem fieri. Et omnem rationalem quæ  
uerbo esse repetito cōstat, simplicem ac catego-  
ricam, si quis hinc uerbū auferat quod illi acces-  
sit & si rationalē particulā, ut homo est animal.  
Si homo est, animal est. Sed nec categoricas in  
conditionales transire, in quibus uerbum solum  
C præ-

## DIALECTICA

prædicatur, nec cōditionales ad categoricarum simplicitatem peruenire, si partim prædicata diuersa, aut diuersa uerba sunt, aut si idē repetitū, illud non est in quo uerba omnia resoluuntur, ut homo est, homo legit, homo disputat. Itē si currit, mouetur, si peperit, cum uiro concubuit, præterea, si homo uiuit, animal uiuit, nam si dies est, lux est, simplex fieri potest, & omnes eiusmodi Cōnexa similes. Ad hæc omnis connexa propositio duabus constat categoricis, uel affirmatiuis, uel negatiuis, uel altera affirmatiua uel altera negatiua, qua ex re quatuor fiunt connexarum species hoc pacto. Si dies, ergo lux est, si nec illud, nec hoc. Si dies est, nox non est, si non illud, hoc igitur. Verum quoniam propositiones (quas repugnantes diximus) tertium conditionaliū modū condunt, de his nunc differemus, si prius quæ repugnātia dicantur, exposuerimus. Repugnātia dicuntur quæ ita inter se consequuntur, ut quod unū contrariorū consequitur, reliquo contrario comparatur, uel ut unius partis oppositū, alterā partem natura consequitur. Nam cum amicus & inimicus contraria sunt, quoniam nocendi studium inimicitias consequitur, si quis amicū studere ut noceat dicit, repugnātia dicit. Repugnās itaq; propositio est, quæ repugnātibus terminis aut partibus annectitur. Terminis categorica repugnat, ut si dicas inimicum adesse inimico. Partibus, conditionalis, quæ si duabus affirmatiuis con-

Repugnātia.

## TRAPEZONTII.

uis coniungitur, adiecta, si ex duabus negatiuis  
dempta negatione posterioris partis, repugnās  
est. sin ex altera parte affirmatiua, altera negati-  
ua cōditionalis composita est, siue negationem  
demamus, siue alteri quoq; parti negationē ap-  
ponamus, repugnantia efficiuntur hoc pacto. Si  
dies est, lux non est, hæc repugnans propositio  
est, quoniam pugnantis constat partibus, nā  
lucem non esse noctē consequitur, nox autē diei  
opposita est. Quare si pugnātia sunt quoties qd  
contrariorum alterum sequitur, alteri iungitur,  
diem esse, & lucem non esse, pugnātia sunt. Est  
autem repugnans propositio, quæ his constitu-  
ta est. Hæc ergo, si dies est, lux non est, quæ eas  
partes continet, repugnans est. Item, si animal  
non est, homo non est, ex hac repugnans si po-  
steriori parti negatio dematur, atq; ita dicatur, si  
animal nō est, homo nō est. Huius propositiōis  
partes sunt pugnātes, quoniā oppositū uni<sup>9</sup> alte-  
ri natura iungit, est em̄ animal, si homo est. Itē,  
si dies est, nox nō est, qd si non dies est, nox est,  
In his (ut diximus) siue alteri quoq; parti negati-  
onem adijcias, siue eam quæ inest tollas, pugnā-  
tes facies, utraq; em̄ pugnans est, si dies est, nox  
est, & dies non est, & nox nō est. Nā & noctē  
esse oppositum eius sequitur quod est diem esse,  
sequitur enim, si dies non est, & noctem esse, &  
noctem non esse si dies est, sequitur, diem au-  
tem esse, ei opponitur quod est, diem non esse,  
C z pugnāt

## DIALECTICA

pugnant igitur partes, ergo repugnantes sunt et propositiones. Sed de connexis propositionibus hactenus. Nunc de syllogismo dicamus. Syllogismi quos conditionales Latine, uel propositiones appellare possumus tribus constant partibus, propositione, assumptione, conclusione, horum septem sunt modi, quorum tres e rationali, quatuor e disiunctiua & copulatiua oriuntur. Primus modus est cum primum assumitur, ut annexum concludatur hoc modo, si homo est, animal est, atqui homo est, animal igitur est. Item, si animal non est, homo non est, non est autem animal, non est igitur homo. Secundus est cum annexum in assumptione tollitur, ut id quoque quod antecedit tollatur hoc pacto, si homo est, animal est, atqui animal non est, ne homo igitur. Item, homo non est, si animal non est, atque homo est, animal igitur est. Item si dies est, nox non est, sed est hoc, non illud igitur. Item, si sanus non est, aegrotat, atqui non aegrotat, sanus igitur. Tertius est modus cum propositionis negatiuae conditionalis quae repugnantibus aut contrariis consistens partibus, antecedens affirmat ut annexum tollat hoc modo, non si homo est, animal non est, atqui homo est, animal igitur est. Item, non si repudiata est, uxor est, sed repudiata est, uxor igitur non est. Significant autem huiusmodi negatiuae propositiones, impossibile omnino esse, si antecedens est, quod consequens sit, unde & conclusionem necessario semper inferri demonstrant. Diximus autem e contrariis uel repugnans



## TRAPEZONTII.

repugnantibus cōstare partibus huius tertij mo-  
 di propositiones, quoniam quæ aliter se habent, syl-  
 logismum nullū constituūt, neq; impossibile si-  
 gnificant posito antecedente nō esse consequēs.  
 Quare syllogismū inde nullum facimus, sed qui  
 contra fieri posset, eum destruimus, ut pro Milo-  
 ne Cicero, nisi uero, aut ille dies in quo T. Grac-  
 chus est cæsus, aut ille in quo C. Annius, aut in  
 quo arma Saturnini, non si e rep. oppressa sunt.  
 Rempubicam tamen non uulnerauerunt, nam  
 cum possent aduersarij Milonis dicere, si e repub.  
 fuit cædes Clodij, repub. non uulnerauit, uulne-  
 rauit autem repub. quoniam aduersus eam fa-  
 cta est, ut senatus decreuit, non fuit igitur e rep.  
 ut Milonis defensores innuere uidentur. Cicero,  
 si e repub. fuit cædes Clodij, repub. tamen nō  
 uulnerauit, opponit, cuius sensus est (ut dixim⁹)  
 antecedente dato nō sequi esse uel nō esse quod  
 annexum est. Idq; probat tribus exemplis, quo-  
 rum primum (ut in formam suam separatim re-  
 digatur) id est, non si e republica Titus Grac-  
 chus oppressus est, ille dies in quo cæsus est, rem-  
 publicam non uulnerauit, Alterum, non si An-  
 nius e republica oppressus est, ille dies in quo cæ-  
 sus est, rempublicam non uulnerauit, Tertium,  
 Non si arma Saturnini in illo die quo cæsus est,  
 e republica oppressa sunt, rempublicam tamen  
 non uulnerauerunt, quod si hæc ita se habent,  
 potest & P. Clodius e republica cæsus esse, &  
 C 3 remp.

Cicero  
 pro Mi-  
 lone.

## DIALECTICA

republicam tamen non uulnerasse, cum nulla sit uis in libera ciuitate inter ciues suscepta, nisi contra rempub. Hæc diximus latius, ut ille locus qui subobscurior est (cum multa in unū contorta oratione confundat) recte intelligatur, uel ut ex hoc etiam intelligas, quod rudes quæque ignorantes illi sint, qui sine artificio præclaros oratores scripsisse cōtendunt, quare si quis artificij expertus eos intelligere uelit, is ad nucleum cum nullo pacto peruenire possit, quasi insanus contemnendus esse uideatur. Duplex exgo negatiuæ huiusmodi conditionalis sensus est, unus ex quo tertium conditionalē syllogismorum modū constituimus, alter ex quo nullū facimus ipsius syllogismū, sed aut factum diluimus, aut ne fiat prouidemus. prioris exemplū, nō si dies est, lux nō est, id est non sequitur, si dies est, quin lux sit. posterioris, non si dies non est, lux nō est, id est nō sequitur non esse lucem si dies non est, Itē, nō si homo est, albus est, non enim sequitur album esse si homo est, ita primus sensus in ijs quæ ex contrarijs uel repugnantibus constant, alter in reliquis habetur. Verū hoc tertio ratiocinatiōis modo breuissime inferunt (Cicerone teste) quæ ad Herenniū ipse contraria appellat. Græci Enthymemata per excellentiā dicunt. nam cum oīs sentētia enthymema Græce dici possit, hæc maxime quæ sunt acutissima, nomē cōmune tanquā proprium possederunt, qua ratione Aristoteles etiam

## TRAPEZONTII:

etiam motus, omnem imperfectam ratiocinationem enthymema uocat, est enim tanto acutior absoluto syllogismo simplex conclusio, quanto breuior. Verum enthymema rhetorū quæ acutissima sunt, nescio qua ratione impulsus Boetius, tertij modi solam esse contendit propositionem in cōmētarijs, quos super Ciceronis Topica ædidi, maxime cum Cicero ex contrarijs hæc conclusa dicat, & ipsa ratio nihil acutius dici ostendat quod in se uim ratiōis contineat. Quare circuitu (quem Græce periodum appellamus) uti, proprium oratoris maxime multi dicunt. Quoniam is orationis uno contextu breui ac coacto propositionis, rationis ac conclusionis uim absolutior quidē ipsis uerbis cōtinens imperfectior colligit. Vt ergo circuitus magnā idcirco uim habet, quoniā argumentationē totā breuius & occultius, & uno spiritu absoluit, sic enthymema (quo rhetores maxime laudamus, si ea facile ac copiose ubi oportet utantur ratione) concludi credendum, quod & Cicero innuit pressius, ut pleraq; solet, cū dicat ex cōtrarijs cōcludi. Quare nō erit syllogismi propositio, ut Boetius sentit, sed cōclusio simul ac assumptio enthymema, qd' ut apertius pateat, exemplo latius enodetur. Quos cū plures essent, uicim<sup>9</sup>, eos pauciores timemus? Pugnātia hæc sunt utriusq; ratiōe, & quoniā posterior pars præcedentis oppositū consequit, & quoniā præcedenti posterioris oppositum

Boetius  
expressi-  
onē, Cice-  
ro et Tra-  
pezōtius  
uim dicē-  
di atten-  
dūt. Qua-  
re et hi, et  
ille recte,  
sed alio et  
alio intel-  
ligendi  
modo.

## DIALECTICA

positum annectitur, quamuis & uerba ipsa plures ac pauci, uincere ac timere repugnēt. Modū uero conclusionis hunc tam in repugnantibus, q̄ in contrarijs fieri diximus. Quare & enthymema quod assumptione & conclusione constat huiusmodi est. Quos cum plures essent uicim⁹, eos pauciores timemus? Deinde assumamus, sed eos cum plures essent uicimus, eos ergo pauciores non timemus. Huius ratiocinationis assumptio in enthymemate primo ut debet, posita est. Conclusio uero cum negatiue inferri debuisset, absq; negatione quidem, sed cū interrogatione prolata est, tenet enim plerunq; interrogatio negatiōis uim. Ita enthymema huiusmodi ad simplicem conclusionem redire uidetur, quā (ut diximus) Aristoteles enthymema uoluit appellari. Differt tamē ab ea nō solū acuitate, ac uirib⁹, quas maiores possidet hic modus, sed etiā quoniam uis illatiōis apertissima ibi, occultior hic, ac ideo animū facilius elabitur, ac labefactat, quod omnium propriū est in quibus artificium magis latet abditū. Hic autē ita reconditū est, ut nō rudes solū, sed etiā qui rhetoricā profitentē, ac docent, omnino fugiat, quos tamē rectius quis foetores q̄ rhetores appellauerit, qui & si nō magis grati, q̄ rudes sunt, tamē quoniā cupimus hæc omnib⁹ esse notissima, alia congeramus exempla. Qui se amicis inexorabilis præbet, is erit placabilis inimicis? Hæc oratio contrarijs partibus iuncta est,  
ex hac

## TRAPEZONTII.

ex hac in tertio mō ratiocinatio fiet hoc pacto.  
Non qui se amicis inexorabilē præbet, is erit placabilis inimicis, sed is se amicis inexorabilē præbet, non is igitur erit placabilis inimicis. Itē hoc metuere, alterum in metu nō ponere. Hoc enim ita breuius in topicis posuit Cicero, nos latius, atq; apertius absoluiamus. Paucos interficere ciues metuis, totā remp. interire non metuis? Hic similiter contraria, metuere & non metuere. Omnia opposita præter relatiua, sæpius contraria solent nominari. Fiat igitur ratiocinatio in tertio sic. Non & paucos interficere ciues metuis, & totam remp. interire non metuis? sed paucos interficere ciues metuis, totā ergo remp. interire magis metuis. Magis adiicimus ut ostenderemus crescere nōnunq̄ enthymema, & maioris ac minoris uim acutius subostēdere. Nō em̄ quēadmodum dialectici distinctius ratiocinationis partibus positis, atq; simplicius (ut in hoc opusculo docēdi causa fecim⁹) sic oratores separatis atq; integris partibus argumētationē cōcludūt. Nam id ut docēti necessarium, sic ab eo qui dicit alienissimū, sed confusis nōnunq̄ partibus, plerunq; alijs neglectis, alijs mutatis, alijs mancis, pressius qd' uolūt & acrius complectunt. Quod & princeps ille nō solū iutelligēdi, sed etiā dicendi, Aristoteles factitat. Verum qui docet, nisi rem oēm ordine suo in lucem efferat, uel quoniam ignorat, uel quoniam inuidia laborat, omnia sic confundit,

C s fundit,

## DIALECTICA

fundit, ut auditores dediscant potius quā discant, quod ita esse hoc signo permaximè perspicies, quod cum multos annos docuerint, neminē tamen doctū effecerunt. Verū id ignorantia ita fieri magis quā inuidia, id signi est quod nihil unquam huiusmodi homines saltē gloria sempiterni nominis scripserunt. Nihil enim magis doctrinā hominis quāta sit monstrat, quam multa recte scribere. Quē admodū nihil magis ignorantē hominē prodit, quā nihil ex se recte dicere, ad aliena semper confugere, ac cum ad sua redire cogit, labi, ac cōcidere. Non enim memoriā (ut pueri) ostentare, sed docere debemus. Quare nos qui hęc & docēdo, & scribēdo in lucē proferre conamur, facimus? qui nisi fraude ignorantiæ, qua multa perpeffi sumus, uexati, hęc studia desiderantibus, non grauibimur quale sit quod diximus, e Cicerone ostendere, ut ad similem diligentiam exemplo ac doctrina cæteros impellamus. In libris ergo de diuinatione ita scriptū reliquit Cicero. Si sunt dii, neque ante declarant hominibus, aut quid uenturum sit ignorant, aut existimant nihil interesse hominum scire quid sit futurum, aut non censent malestatis suæ esse præsignificare hominibus quæ sunt futura, aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos, sunt enim benefici, generique hominū amici, neque ignorant ea quæ ab ipsis constituta & designata sunt, neque nostra nihil interest scire ea quæ euentura

Cicero  
de diuinatione

## TRAPEZONTII.

uentura sunt, erimus enim cautiore, si sciemus. neque hoc alienum ducunt a maiestate sua. Nihil enim est beneficentia præstantius. Neque nõ possunt futura prænoscere. Non igitur sunt dij, neque significant. Sunt autem dij, significant ergo, & si non significant nullas vias dant nobis ad significationis scientiam. Frustra enim significarent. Nec si dant vias, non est diuinatione. Hæc Cicero. Nos uideamus quæ uis, quæ ratiocinationes huic insint orationi. Vis inest loci, qui ab antecedentibus dicitur, & eius qui a partibus est. Principalis ille locus a partibus accedit. Argumentationes quatuor ab enunciatione partium. Vna qua probatur annexum illud, neque ante declarant hominibus quid uenturum sit. Quibus partibus enumeratis, atque infirmatis, relinquitur, si sunt dij, futura ab illis hominibus declarari. Quam conclusionem intulit, propositione ipsa repetita, quod semper fere factitat, cum oratione cessitate rerum longior, quam perspicuitas patitur, sibi confecta est. Propositione igitur ipsa resumpta, integram ratiocinationem in hoc tertio modo sic constituit. Non igitur dij, neque significant futura. Nam falsam illam esse quam posuit, enumeratione demonstrauit. Si enim aliqua istarum quinque partium solum fieri posse uidetur, ne dij futura significant, quibus minime fieri posse, omnium infirmatione demonstratum est. Repugnans hoc esse probatur, si sunt dij, non significant futura. Huiusmodi

## DIALECTICA

iufmodi autem propositiones non repugnantes esse non poffunt, quare et oppositū eius intulit negatione adiecta, uel ut uerū inferat, uel ut tertij modi propositione utatur, uel ut ostendat repugnantē affirmatiue a superioribus sequi. Non igitur sunt dij, neq; enim significant futura, sed sunt, significant ergo. Hac deinde cōclufione antecedentis loco accepta, aliā repugnantē negat. Repugnans hec est, Si dij futura significant, nullas dant uias ad significationis sciētā, hoc enim oppositum præcedētis insequitur, nam recte inferitur. Si nō significant, nullas dare nobis uias ad significationis sciētā. Est ergo repugnās affirmatiua quā negauit, ut ex ea integrū syllogismū faciat qui intellexit, hoc modo. Et si non significant, nullas uias dant nobis ad significationis sciētiam. Hanc conclusionē tertio similiter ut & superiorem in secundo syllogismo, præcedens facit repugnantis huius, si dant uias ad significationis sciētiam, nō est diuinatio? Quā negauit, ut ex uera propositione uera inferatur, in tertio modo sic. Nec si dant uias nō est diuinatio? Assumptionē lectori docto relinquit. Nullius enim sibi curæ indocti sunt, atqui dant uias, hinc concludit, est ergo diuinatio. Vides mi Petre, quo artificio locus hic præclaro illi uiro et oratori est absolutus, quem libenter interposuimus, ut & quod docem? aperti? facerem?, et uno ipsi? loco tam & ceteros eloquētis studiosos q̄ docētes ad moneamus



## TRAPEZONTII.

moneamus, maiore cura quā faciūt, opera Cice-  
rōis exponere, ne indoctiores reddāt auditores  
quā acceperūt, neq; nudos animos ipsorum, sua  
ignorantia, ineptiores ad bona studia efficiant.  
Verū de primis tribus, quos oratori cū dialecti-  
co Cicero cōmunes sentit, dictū erit, si illud com-  
monuerimus, quod iā tetigimus propter oratio-  
nis elegantiam demi, addi, cōmutariq; nonnulla  
eorū posse, quæ in dicendo ut res pateat, fieri o-  
portere asserimus. Cōmutationis illud tibi exem-  
plo sit, quod negatiuam diximus conditionālē,  
cum conditionis notam negatio præcedit, quam  
Cicero postposuit, cum dicat. Et si nō significāt,  
nullas dant uias, detractionis illud, non igit sunt  
dij, neq; enim futura significant, nā si cōditionis  
particulā in prima propositione positā detraxit,  
quā rem assumptio demōstrat. Hūc ne quid huic  
doctrinæ desit, alios quatuor breuiter expone-  
mus, quos dialecticorū esse tantū Cicero opina-  
tur. quāuis ipse certe orator summus dialecticus  
etiam (si quis ita uult) uel in orationibus nonnū  
quā his usus sit. Quartus igitur modus est, cū dis-  
iunctiue antecedens in assumptione ponimus  
ut quod sequitur infirmetur, hoc modo, Aut di-  
es est, aut lux solaris non est, sed dies est, est igit  
solaris lux. Item, aut sanus est, aut ægrotat, est au-  
tem sanus, non ægrotat igitur. Quintus modus  
est, cum id quod in disiunctiua præcesserit in as-  
sumptione tollitur, ut quod sequitur confirme-  
tur

## DIALECTICA

meū, hoc pacto. Vel uiuit, uel mortuus est, sed non uiuit, mortuus est igitur, suumque obiit diem. Item, aut non est dies, aut non est nox, sed dies est, non est igitur nox. Sextus & septimus ex disiunctiua in copulatiua mutata, negatiōe addita constituuntur, & sextus quidē fit, si antecedēs ponitur ut coniunctū, ac cōsequēs interimatur, sic, non & risibile nō est, & homo est, sed risibile non est, nō est ergo homo. Item, nō & risibile est, & homo non est; sed risibile est, igitur & homo. Septimus fit, si negatiuæ propositiōis quæ ex disiunctiua copulatiua facta sit, antecedēs tollitur, ut quod sequitur perimat, hoc modo. Nō & prudens est, & ineptus non est; non est autē prudens, est igitur ineptus. Ita septē hi cōditionales modi, tres ex propositiōe proficiscuntur, quæ cōditionalē proprie appellamus, duo ex disiunctiua & duo ex copulatiua negatiua, in qua copula sit ex disiunctiōe uersa, hinc patet sextū ac septimū modū in quadā non in omī materia syllogismo esse, quare syllogismos ego potius quosdā quā simpliciter appellauerim. Simpliciter enim syllogismum dicimus qui ea structura est ut si ea quæ præcedunt uera sint, conclusionis necessaria colligatur consecutio, quod tam prædicatoriis quam alijs ferme omnibus conditionaliū modis inesse uidemus, nam tertij modi contendat quis non esse simpliciter syllogismum. At uero & hi duo posteriores, non ex omni uera copulatiua

## TRAPEZONTII.

tiua, sed ex ea solum quæ ex disiunctiua uera uer-  
 sa sit, necessariam habet consecutionem. Hæc e-  
 nim uera est, non & homo est, & animal non  
 est, in omnibus enim cōtrarijs ac repugnātibus  
 quæ simul eidem inesse non possunt, huiuscemo-  
 di copulatiua necessitatē continet. At septimus  
 ex ea modus confici non potest, non enim sequi-  
 tur, si homo non sit, animal quoque esse. Item  
 hæc uera est, non & lux est, & dies est. Lucem  
 enim esse, & non esse diem, simul fateri quis po-  
 terit. At sextus ex ea modus confirmari non po-  
 test, neq; enim fit, si lux est, diem non esse. Quod  
 si simpliciter is syllogismus est qui ea structura  
 constat, ut semper ex ueris uera colligat, idq; se-  
 xtus ac septimus modus non faciat, quosdam e-  
 os & nō simpliciter syllogismos esse necesse est.  
 Utuntur uero tam philosophi q̄ oratores, non  
 minus his om̄ibus syllogismis q̄ rei q̄ ijs qui cō-  
 positionis gratia cōsequunt̄. Nunq̄ em̄ erubescūt  
 si res patitur, rem potius q̄ cōpositionē diligēter  
 sequi, ut pro Milone Cicero nisi uidisset absolui  
 eum qui fateretur, non dedisset uobis tam saluta-  
 rem in iudicādo literam. Ab affirmatione enim  
 non præcedentis, sed annexi ratio procedit. Itē,  
 quamuis pressius. Si hic illi fecit insidias, nō sit  
 impune, si illi huic, tū nos scelere soluamur. In  
 altero enim si quod præcedit affirmes, cōnexum  
 primo modo confirmat̄, in altero si antecedens  
 tollis, tollis & consequens, quod non cōpositio-  
 nis;

Cicero  
 pro Mi-  
 lone;

## DIALECTICA

nis, sed rerū uī sequitur. Quas ob res dāda est o-  
pera diligenter, naturā, uim ac ordinem rerum  
nosse, quod exacta Topicorū ac exquisita doctri-  
na pollicetur, deinde syllogisticæ compositionis  
uires non ignorare, nam is mihi solum posterita-  
ti digna conscribet. Qui hæc neglexit, eius scri-  
pta tanquam flosculi celeriter decident. Verum  
de perfectis syllogismis satis, nunc de imperfe-  
cto dicamus.

### DE SYLLOGISMO IMPERFECTO.

**Imper-  
fectus  
syllogi-  
smus.** **S**implex conclusio est quæ unius propositio-  
nis necessaria consecutiōe conficitur simpli-  
citer, hoc pacto. Eo isto tēpore, quo Romæ  
istud a me factum dicitis, ego trans mare fui. Non  
ergo feci, nec potui quidem facere. Cōposite hoc  
modo. Contemnis tu uirtutem, cū sis homo, uir-  
tutem ergo contemnis. Huius rei a iunioribus q-  
de dialectica scripserunt, multa dātur præcepta,  
quorum cognitio & difficilis est, & parum uti-  
lis. Illud longe necessariū ad dicendum, locorū  
uim omnem, rationemq; percipere, quod non  
rhetorem solum cōstituit, dialecticum armat, ue-  
rum & ad cæteras facultates tam ornamentum,  
quam copiam afferre solet, nec solum enthyme-  
ticum facile reddet, sed omnium syllogismorum  
radices & quasi principia funditus aperit. Quas  
ob res maxima semper diligentia, Topica est a  
maioribus nostris ratio celebrata. Et profecto q-  
credit absq; locorum, id est Topici artificij cog-  
nitione

## TRAPEZONTII.

tionem, recte, copiose, facile inuenire, is cum neque  
per se quanta sit hæc res intelligere queat, neque  
maiores tam Latinos quam Græcos audiat, quasi de-  
mens contemnatur. Quare tu quæ ad maiorem  
imitationem non casu, sed recta ratione institue-  
re cupio, terminos questionis sic diligenter con-  
sidera, ut genera, species, differentias, propria,  
quæ inhærent accidentia, partes singulas, diffini-  
tiones, notas, antecedentia, consequentia, causas,  
effectus, coniuncta, paria, & rursus maiora, mi-  
nora, contraria, repugnantia, ut inquam omnia  
hæc quæ intrinsecus aspicias. Nec te fugiat syl-  
logismorum uis, natura, similitudo, dissidentia. Nam  
si recte locos intellexeris, exercitatione adhibita,  
mirabilem quandam & facilem habebis dicendi co-  
piam. Nec indoctis ac rudibus auscultes, qui id  
circo putant uel nihil, uel perexiguum inde no-  
bis suppeditari, quod ipsi aut nihil, aut parum edu-  
cere possunt. Nec te (quonia res ardua est) de-  
terreat, faciet enim eam usus facilem. Nam quem  
admodum qui literas sciunt, non est necesse quoti-  
es legunt aut scribunt, toties cogitatione litera-  
rum uim, atque numerum conquirere, sic qui locos  
mente conceperunt, exercitatione firmarunt,  
usu innatos sibi affecerunt, eos necesse non est  
quoties quaestio proposita est, toties ad eius se-  
positos locos reuolui, sed occurrunt ilico peritis  
ad explicandam quaestionem, ut literæ ad singu-  
la uerba scribenda, etiam si non quaeris, ut natura  
D non

## DIALECTICA

non arte ad eas institutus esse uidearis. Sed ple-  
ricq; adeo sunt rudes, atq; agrestes, ut anteq̄ lo-  
cos bene noscant, inueniendi copiam habere ue-  
lint, quasi uero quisquam uerba legere scripta  
possit, nisi literarum primo figuras coeperit, de-  
inde usum lectioni saepius atque saepius accōmo-  
dauerit. Verū indoctos tabescere sinamus, nos  
ne indocti simus elaboremus. Omnes igitur loci  
unde ad syllogismos mediū querit̄, enthymema-  
tici sunt. Nō enim est aliud perfecti, aliud imper-  
fecti syllogismi medium. Quod cum ita sit, rerū  
tamen ipsarum uel perspicuitas, uel trita consue-  
tudo facit, ut conclusione potius simplici quam  
perfecto syllogismo utendum sit. Nam sicut in  
re parū cognita, ratiocinari oportet absolutius,  
sic in re aperta, propositionum altera fastidium  
parit. Sed cum tribus constet ratiocinatio pro-  
positionibus (conclusionem enim etiam proposi-  
tionē uoco) enthymema duabus, dubitare pote-  
ris, qua ex premissis cōclusionē potius enthy-  
matis inferre solemus. Quæ res, ut tibi certa ra-  
tione cōprehensa, non sinat huc & illuc tanq̄ im-  
peritum fluctuare, medium terminum maiori et  
minori compara. Quod si æqualiter antecedere  
uel consequi ad utrunq; uidetur extremū quod  
posse fieri contenderemus, quamuis raro æqua-  
liter ex alterutro infertur conclusio, si locorum  
ui considerata certius aut uerisimilius extremoꝝ  
alterum antecedit aut consequitur, cetior aut ue-  
risimilior

TRAPEZONTII:

rissimilior est præmittenda, quod in dicendo qui  
 non obseruat, non ignorantia solum, sed tardita  
 tis quoque crimine accusandus. Illud apprime te  
 nendum simplicis conclusionis ( si necessaria uti  
 debet consecutione) conclusionis oppositum præ  
 cedenti repugnare, si uerissimiliter consequatur,  
 connecti posse, ut mater est, & filium non dili  
 git, hæc quoniam connecti possunt, necessaria i  
 sta non est consecutio, mater est, ergo filium diligit.  
 Ad hæc quoniam simplicis conclusionis conse  
 quens, alterius consequentis antecedens fit, & eius  
 similiter consequens alij antecedit, quod primo  
 omnium antecessit, necessaria consecutione ad  
 ultimum consequens præcedere, quod etiam in  
 orationibus fieri obseruauimus, hoc pacto. Si ri  
 det, homo est, si homo est, animal est, & si ani  
 mal est, substantia est. & assumendo. atqui ridet,  
 ergo substantia est. Præterea tenendum optime  
 est, oratores maxime in dicendo solere, cum ratio  
 aliqua quicquam uelint comprobare, unicam propo  
 sitionem dicere, auditoribus cætera relinquere. Ha  
 bet enim plerumque breuitas, quando res adapta  
 est maiores neruos implicita, quos incidit expli  
 cita oratio, ut in epistola ad Placum. Senatus tibi  
 non amicitior est, quam tota ciuitas. Mirabiliter enim  
 populus Romæ uniuersus & omnium generum  
 ordinumque consensus, ad liberandum reipub.  
 conspirauit. Quæ ratio & si plurimum moueat, pa  
 rum tamē accommodata, subtilius hæc perscrutari ui  
 debetur,

Cicero ad  
Plancum.

D z debetur,

## DIALECTICA

debitur, nisi ad syllogismū cuius uiribus nititur absolutius reducatur, plurimū enim afferre ad probandū tam senatū q̄ totā ciuitatē amicissimā esse Planco, primo impetu uidebitur sola, exanimata languescit ac labitur. Quare uires suæ per syllogismū perspiciant hoc pacto. Omnes ad liberandam remp. mirabiliter conspirāt, uehementer amāt eum qui remp. liberare & uult & potest, sed populus Romanus uniuersus & omniū generū ordinumq̄ consensus ad liberandā rempub. mirabiliter conspirauit, populus ergo Romanus uniuersos & omniū generum ordinūq̄ consensus uehementer amant eum qui remp. liberare & uult & potest, sed utraq̄ tibi insunt tibi ergo tam senatus q̄ tota ciuitas est amicissima. Ita una propositio, syllogismi unius & simplicis conclusionis uires habet. Qua ex re uides quanta ignorantia illi sunt inuoluti qui putāt in oratoribus, ac maxime in Cicerone uerborum esse copiam nō sententiarum. Nam cū nec quid dicat, nec cur dicat, nec quomodo intelligāt uerborūq̄ solam uenustatem considerēt, damnare audent quem non intelligūt, nec mirum cū pleriq̄ eorum qui hanc dicendi copiam profitent, quiq̄ dicendo Ciceronis libros aperire conant id ita esse concedunt. Verum tu hos ignorātes contemne, & plurima sic dicta diligentius examines, subtilius accōmodes, nec ratiocinatione putes, sed inuēta implicite atq̄ inuolute conscrip-  
pta,



## TRAPEZONTII.

pta, uel ut magis breuitate moueant, uel ut artificium obstrusum lateat. Quod nullus certe percipiet, nisi quod inuolutius complicatum est, latius explicet, quod tamē non in omnibus. Nam cuncta quæ orationis uim obtinent, ad prædicatorios syllogismos reduci posse, nemo peritus negabit. Non ergo in omnibus, sed in obscurioribus faciendum esse arbitror. Ac de his satis.

### DE DIFFINITIONE ET DIVISIONE.

**N**unc de diffinitione ac diuisione, coniunctim pauca dicamus. Nam ita se habent, ut altera alterius egere uideatur. Nec enim nisi qui recta distributione usus est, diffinire se unquam intelliget, nec unquam recte distribuere poteris, nisi quid sit quod distribuendū est, conscripseris. Diffinitio est coactę in se atq; complicatę rei breuis atq; absoluta explicatio. Diffinitionum quatuor genera, Substantiale, Describēs, per Partitionem, per Diuisionem, nam qui plura faciunt, ea connectunt quæ aut ad hæc facile reducunt, aut leuiora sunt q̄ ut diffinitiones appellari possint. Substantialis diffinitio est oratio quæ id quod diffinitum quid sit explicat, breuiter & absolute complectitur. Per partitionem diffinitio, est oratio quæ per enumerationē partium breuiter & absolute aliquod totum ostendit. Per diuisionē diffinitio, est oratio quæ specierum disiunctione breui ac absoluta genus ali-

Diffinitio.

Substantialis.

Partitione.

Diuisione.

D 3 quod

## DIALECTICA

**Diuisio.** quod ostendit. Diuisio alicuius in partes suas distributio. eius duo sunt genera, Vnum quod per se rem aliquam distribuit, Alterū quod per accidens paritur. Prioris rursus tres sunt species, Generis in species, quæ proprie dicitur diuisio, ut animal hoc rationale, illud irrationale, differentias etiam formæ speciēiq; nomine complectimur. Totius in partes, quā partitionē proprie possumus nūcupare, ut domus in fundamentum, in parietes, tectū. Vocis in significationes, quæ distinctio appellatur, ut canis uel piscis, uel terrestre animal, uel sydus. Posterioris itidē tres sunt modi, quo substantiā quæ subijcit, per accidentia partimur, quæ subiecti in accidentia diuisio dicit, ut hominū alij piij, alij impij. Quo accidentia per substantias, quā accidentis in subiecta nominamus, ut omniū quæ expetunt alia in corpore & alia in anima sita sunt. Extremus, accidentis est in accidentia distributio, ut candida omnia uel dura sunt, uelut lapides albissimi, uel liquentia, ut nix. Hæc accidentis in accidentia diuisio sola in alterutrū separat, ut eorum quæ dura sunt, quædā alba sunt, ut lapis Parisus, quædā nigra, ut Terebinthus. Et rursus eorū quæ nigra sunt, alia dura, ut Hebenus, alia liquentia, ut pix. His ita dictis communiter, illud mihi precipiendum uidetur, Diuisionē generis, & ea quæ secundū accidentis est, in opposita semper fieri, & cū oppositiōis species quatuor sint, contraria cōmodissimè me omniū

## TRAPEZONTII.

Ine om̄iū adhiberi, contradictoria etiā, & quæ  
 per priuationē & habitū dicunt, non esse abijci  
 enda. quæ uero relative opponunt, si rem per se  
 diuidamus, nullū habere locū. si per accidēs, nō  
 omnino negligenda. Dicimus autē homines ali-  
 os dominari, alios seruire. Item oēm diuisionē  
 (ea excepta quę uocē in significatiōes distribuit)  
 nil oportere plus minus ue cōtinere. Verū cum  
 uocē in sua significata distinguimus, ea comple-  
 cti nonnunquā sufficiet, quæ ad rem nostram  
 faciunt. Est autem omnis distinctio duplex. nā  
 aut unius, ac simplicis est termini, quę distinctio  
 æquiuoce dicitur. aut orationis, quam amphibo-  
 logiam Græci, nos ambiguum dicimus, ut dico  
 te Aeacidem Romanos uincere posse. Ambigu-  
 um adiectione termini, uel mutatione oratiōis, Æqui-  
uocū.  
 aperiendum. Æquiuocum si institutione æqui-  
 uocum est, ad grammaticos confugiendū. Dici-  
 mus autem æquiuocum, quod nec accentu, nec  
 aspiratiōe, nec genere, nec orthographia, nec nu-  
 mero distingui potest. Sin modis quibusdam ad  
 multiplices uariasq; res terminis applicari po-  
 test, aut ex se solo, aut ex adiūcto potius huius-  
 modi uim habere dicitur. Primi distinctio, non  
 minus doctrinæ. Multa enim aliter physicus, ali-  
 ter prim<sup>o</sup> philosophus, aliter dialectic<sup>o</sup>, aliter ora-  
 tor exponit. Quāobrē insanire mihi uidēt nōnul-  
 li, q̄ adeo rudes atq; indocti sunt, ut audeāt asse-  
 rere, dialecticū æquiuocantē effugere nō posse,  
D 4 nisi

## DIALECTICA

nisi singulorum uerborum uim, ac potestatem optime nouerit, quæ a grammaticis tradit, quæ si apprime tenuerit, æquiuocis ipsum implicari non posse. Raro enim, & pene nunquam multiplici significatione uerbi dialecticus aut decipit, aut decipitur. Modi ergo quidam, qui etiam eos ipsos qui ratiocinantur fallunt, quæ eos distingueret, unius non esse disciplinæ Aristotiles ostēdit, qui multa in physicis, ut naturalis, qui multa in prima philosophia, ut metaphysicus multa in ethicis, ut moralis, nonnulla in dialecticis, ut logicus distinxit. Verū ut quale sit quod diximus pateat, exemplis utamur. Infinitum dicimus, cuius terminum inuenire non possumus, unum ergo significat, sed tamen alio quodam modo continuū, alio discretū, infinitū dicimus. Et hoc quidē appositione, illud diuisione infinitū asserit Aristoteles. Tēpus aut utroq; modo, quæ si quis continuū non diuisionis termino, sed magnitudinis infinitū fingit, non diuisionē solū, uerū etiā appositione infinitū dici posset. Itē unū in physicis quidē Aristoteles tōtinuo dicit, ut linea una. indiuisibili, ut punctus unus. ratiōe, ut uinū, uappa. In quinto primæ philosophiæ secundū se, & secundū accidēs unū distinguit. Eiusq; quod unū secundū se est multos subiicit modos, ac dialectici numero, specie, genere (ut Cicero, homo, animal) unum dici perspexerunt. Ita cum unum sit quod a cæteris seiunctū sit, ipsum secundū unū quod inuisibile est, hac

## TRAPEZONTII.

est, hac una eademque significatione semper dicitur, modus uariatur. Alterum modum multiplicis diximus, cum non ex se, sed ex adiuncto terminus adeo uarijs, atque multiplicibus modis sumit, ut non eandem potestatem, sed aliam atque aliam habere uideatur, ut homo cum dico, quid significet uides, pro quo accipiatur ignoras. Si, disputat aut si species est, adiunxero, aliter atque aliter accepisti. Has suppositiones iuniores appellat. Quas si quis penitus tenere cupiat, dialecticorum qui ea de re multa, & protensa uolumina conscripserunt, diligenter euoluat. Nobis solum admonuisse terminorum acceptiones ex adiuncto mutari sufficiat. Nam eius rei diligentior doctrina, & longior est, & ad usum oratorum affert pene nihil. Viderint etiam ne complura eiusmodi non ad usum, sed ab usum iniecta sint. Quod si quis putauerit in statu legitimo per ambiguum amphibologiam huiusmodi posse incidere, cum id usu euenerit, dialecticos consulat, nos quoniam raro, ac pene nunquam accidere putamus, tam longam atque obscuram doctrinam praetermisimus. Et haec quae diximus eo tendunt, ne tu etiam sicuti omnium rerum ignari, ad dialecticas amphibologias, & aequiuocationes, grammaticum putes multa posse conferre. Nunc quoniam de uocis significatione diximus, pauca de partitione totius etiam generis differam. Nam ceterorum uel ex ijs quae dicta iam sunt, uel ex ijs quae dicent, apertissime ratio constabit. Totum igitur quatuor

D s modis

## DIALECTICA

modis dicitur, specie, continuo, uniuersali, uirtute ac potestate. Totum specie cum partimur, in substantialia partes partimur. Substantialia partes sunt quibus unicuiusque substantia primo constat, & ex materia, & forma. Hoc modo dicimus hominem anima & corpore constare. Totum continuum in partes semper integrantes scindimus. Integrantes partes dicimus, quae totum ita componunt, ut non ad formam, sed ad materiam eius reduci uideantur. harum aliae similes, aliae dissimiles. Similes dicuntur, quae sunt eiusdem rationis, ut caro, ossa, nerui, caeteraque, quibus animalium corpora componunt. Dissimiles, quae non sunt eiusdem rationis, ut homo in caput, thoracem, manus & pedes partitur. In partitione huiusmodi, praeter ea quae de omni diuisione communiter diximus, danda est opera, ne partes partium commisceamus, nam qui hominem in pedes, thoracem, caput, brachia, manus & digitos partitur, aut cum dixit caput, oculos, aures, caeteraque huiusmodi addit particulas, omnia confundit. Totum uniuersale in indiuidua discerpit. Id in uirtutes ac potestates scinditur, ut anima in uegetantem, sensibilem, rationalem. Non enim generis in species uel differentias haec distributio est, impermixtae namque sunt species semper, atque differentiae, nec cum partibus suis continuum nullo modo praedicari possit. Nec de se rei uniuersalis indiuidua, uel quoniam potestates ipsae genera non indiuidua, uel quoniam  
niam

## TRAPEZONTII.

niam in indiuidua æqualiter uniuersale descen-  
dit, uerū de totius disseparatione satis dictū est.  
Generis autem in proximas species fiat diuisio.  
Nam qui dicit substantiæ aliud animatū, aliud  
inanimatū, cum non in proximas differentiās par-  
titus sit, non recte diuidit, nam & si tam anima-  
tum q̄ inanimatū substantia est, nō tamē in hæc  
primo, sed in corpus & incorporeum substantia  
scinditur. Deinde corpus in illa, & illa in corp⁹  
animatū sensibile ac insensibile, eorū modo usq̄  
in specialissimas species. Primū igit̄ diligēter ad-  
uertamus, ut in primas species uel differentiās  
diuisio fiat, deinde ut species potius q̄ differen-  
tias accipiamus. In species enim proprie genus  
non in differentiās scinditur. Verum quoniā re-  
rum species plerunq̄ nomine carent, maximeq̄  
illæ quæ rursus tanq̄ genera distūgi possunt, quas  
subalternas nuncupamus, differentiās, specierū  
loco ponimus. Nam cum differentia sit qua ali-  
ud ab alio distare asserimus, omnis differentia  
ad diuisionem, quamuis nō omnem, idonea est.  
Differentia igit̄ triplex est, quæ actu a subiecto  
separari potest, ut sedere, stare, candidū esse, ni-  
grum esse. Quæ actu quidem non separatur, sed  
sola ratione, ac mente distūgi posse percipitur,  
quo modo album cignum a nigro coruo differ-  
re uides. Et quæ nullo pacto, nō modo, nō actu,  
sed ne mente quidem tolli potest, nā si tollit̄, id  
quoq̄ perimit̄ quod ea re ab alijs differt, ut ratio  
nali,

## DIALECTICA

nali, a cæteris homo differt, Et si rationem ab eo tollas, nec homo quidem erit, quam differentiã solam in diuisione generis adhibere debemus. Nam reliquæ, diuisioni quæ per accidens fit, ac cõmodant. Ipsas ergo substantiales quas & específicas appellari diximus, sub genere ponemus proximo, semperq; oppositas (ut iam dictũ est) inueniemus, Per præpositionẽ negationis cum uni tantum differentiæ nomen sit inditũ, ut numeroꝝ alij primi sicut tres, septẽ, alij nõ primi, ut nouẽ. per cõtraria, ut colorum alij nigri, alij albi, alij neutri. Per habitum & priuationem, ut animalium alia rationalia, alia irrationalia, Reliqua quæ relationis est oppositio, in diuisione generis locum non habet. Ad hæc ordinem quendam retinere debet diuisio, ut negatio semper postrema ponatur, affirmatio & habitus præcedat, nam & docemur facilius, & natura prius affirmatio & habitus est, posterior negatio atq; priuatio, diuisione generis usq; ad species ultimas recte diducta, facile erit omnem speciẽ quæ primo generi subiecta sit, substantiali diffinitione complecti. Constat enim diffinitio genere atq; differentijs. Quare nec generalissima hac diffinitione nec indiuidua diffiniri possunt. Nec em̃ ultimum ultra ultimum est, nec indiuidua, substantia lidifferentia differre possunt. Cum igit rem aliquam diffinire uolumus, facta diuisione superioris generis usq; ad extremas species, genus ei⁹ rei proximum



## TRAPEZONTII.

proximum primo, deinde eius generis diuidentem differentiam generi adiungimus, quæ si rei non exæquantur ita ut non conuertantur, tertiam adiciemus, uel etiam quartam, quousque diffinitio, nec plus, nec minus, sed re ipsam perfecte, absoluteque complectatur, adeo ut cum ea conuertatur, ut cum uolo diffinire hominem, primo animal quod homini proximum genus est, deinde rationale assumo, dicoque hominem esse rationale animal, qua oratione substantia hominis explicata est, nisi quis putet (ut Platonici) coelestia quoque corpora, quæ perpetua ac immortalia sunt, rationalia esse animalia. Tunc enim ex sectione rationalis animalis, mortali atque immortalis, mortalitas diffinitioni hominis est applicanda, ut homo, sit animal rationale atque mortale. Quod si quis (ut antiquitas credebat) Nymphas esse quasdam longæuas, mortales quidem, sed hoc hominibus diuiniore, quod ex se ratiocinando discat, cum homines si nihil penitus audiant, nihil discant, si quis inquit id uerum esse putabit, facta huius innominati generis distributione, quod hoc ex se quidem ratiocinando sciat, illud uero non ex se ratiocinando primo, sed quod audiendo, re atque actu didicerit, sciat dicemus hominem esse animal rationale, mortale, disciplinæ capax. Ac ita demum quicquid homo erit huiusmodi erit animal, & quicquid huiusmodi animal, homo erit, nec plus nec minus positum erit in diffinitione. Quod cum accidit, uertere retro poteris.

## DIALECTICA

ris. Diminuta enim diffinitio uerbis, maiorē, abū-  
dans minorē rerum cumulū facit. Item cū quid  
sit uerbū adinuenire studeā, genus primo, uocē  
scilicet, assumā, & cū omnē uocē uideam in duo  
scindi, in eā quæ aliquid ac in eā quæ nihil signi-  
ficat, uocem significantē dico esse uerbū, sed nō  
sufficit. Nam significantiū uocū, quæ natura si-  
gnificant, uerba non sunt, addo igitur institutio-  
ne significans, ut a nomine separem, cum tēpo-  
re, ut ab oratione uerbū segregē, cui⁹ nulla pars  
significat separata, uideo esse adijciendū. Ita dif-  
finitio uerbi, rei exæquata, est uox institutione si-  
gnificans cū tempore, cuius nulla pars significat  
separata. Verum quēadmodū ex diuisione col-  
ligitur diffinitio, sic ex diffinitione rursus haberi  
diuisio potest, ueluti ex hac ipsa uerbi diffinitioe  
uocē diuidemus, in significantē, in natura signifi-  
cantem, ut gemitus, & institutione, & hanc cum  
tempore, uel sine, & utranq; in eam cuius partes  
separatæ aliquid significant, ut oratio & in eā  
cuius pars nihil significat separata, ut nomen, si  
absq; tempore, si cum tempore, uerbum. Nā cū  
ex una parte differentia in diffinitionem indu-  
ctæ sunt, facile est eodem ordine oppositas ex al-  
tera parte collocare. Ex hisce omnibus, illud per-  
spicuum est, res multo pauciores esse quam ter-  
minos, nā si termini rebus exæquarentur, tā dif-  
finitio, quam diuisio duobus tātum terminis in-  
complexis fieret, ut si huic generi, quod est ani-  
mal

## TRAPEZONTII.

mal ratiōale mortale (nihil enim prohibet ita ex-  
emplo uti, tanquā si lōgæuxæ Nymphæ nulla ex-  
isterent disciplina sciētes) si huic inquam rei quæ  
genere una esset, incomplex<sup>9</sup> terminus esset im-  
positus, similiterq; huic differentiæ, quæ est disci-  
plinæ capax, diffinitio, quæ longior facta est ter-  
minorum inopia, duobus tantum confecta es-  
set, eodem modo si ei generi uocabulum esset  
quod orationi cum uoce ex institutione signifi-  
canti cum tempore, uel sine tempore commune  
est, & huic differentiæ similiter, q̄ est cuius nulla  
pars separata significat, diffinitio nominis uel  
uerbi duob<sup>9</sup> terminis cōstaret. Hoc ipsum & in  
diuisiōe cōspicere licet, ut cū dicim<sup>9</sup> rerū omniū,  
quædā sunt bona, quædā sunt mala, q̄dā indif-  
ferētia, quæ Græci dicūt ἀδιάφορα, tripartita fa-  
cta diuisiō est, quoniā ei<sup>9</sup>, qd̄ est indifferēs pro-  
prio uocabulo carem<sup>9</sup>. Nam si quis ita distribu-  
eret, rerū oī m alia differētia, alia indifferētia, dif-  
ferentium alia bona, alia mala, in duos quidem  
terminos secaret, uerū tā auditores, q̄ seipsum i-  
gnorātia cōfunderet, cū differēs (nisi aliud quid  
ante cōcesserit) differētiæ oīs & æqualitas aut si-  
militudinis cuiusq; significātiā habet. Quare o-  
portet diuidēdo, ne confusio fiat, quæ distinctio-  
ni opposita est, certa præponere, ut incertiora  
quasi circumscrip̄ta determinētur. Verum de  
substantiali diffinitione hactenus, Nunc de cæ-  
teris breuius perstringamus.

Descriptio

## DIALECTICA

Descriptio accidētalis differentias quæ separari non possunt, continet. Et si totam rem absolute huiusmodi una ostendit differentia, eā solā ponemus, ut homo est quod ridere potest, quod si id non accidit, cæteras apponemus quo usq; uerte- re descriptionē cū re possimus, ut animal est qd̄ propria ui potest in oppositos locos moueri. E- numeratione partium aliquid diffinimus, cū in- tegrantes om̄es atq; principales assumimus par- tes, ut quod uolumus ostendamus, hoc modo. Domus est quæ fundamētis & parietibus cōstat. Quod si parum partes afferre uident̄, uel formā, uel finem apponemus. Nam & theatra, colūniæ ex aliqua parte sustentata tecta, domus nō sunt. Quare, si undiq; parietibus coniuncta atq; con- clusa dicas, formā, si ad habitationē constitutā, finem, si utrunq; utroq; rē significātius expresse- ris. Hæc a descriptiōe differt, nam & si quasi par- tes in illa etiam connumerant̄ nonnūquā, hic ta- mē semper singulæ diffiniēdo minora sunt, quæ in descriptiōe uel maiora uel æqualia, nunq̄ mi- nora inueniri possunt. Per diuisionē diffiniem⁹, cū aliquod genus quid sit, per subiectas ei partes omneis proximas, atq; disiunctas explicamus, ut animal est quod sensu tantū uel sensu simul & ratiōe utitur. Hæc diffiniēdi ratio generalis- simis generibus accōmodatissima est. Nec enim facili⁹ aut perspicacius ea quid sint enodare pos- sumus, quam si species uel differentias eis primo subiectas

## TRAPEZONTII.

subiectas omneis, uel specierū diffinitiones disti-  
gendo proferamus, uel substantia est, quæ uel  
sensu, uel mente per se esse comprehenditur. Et  
quantitas est, cum cuiusquā partes, uel cōmuni  
termino coniungunt, uel distincte aceruū ex uni-  
tatibus cōstituūt, hoc modo, & quod est descri-  
bimus, cum dicimus, Ens est quod uel per se cō-  
sistit, uel alteri inhæret. Quod si quis non prox-  
ima, sed longiora enumerat, quæ tamen cuncta  
propter multitudinē cōprehendi nō possunt, nō  
per diuisionē explicabit, sed ea ratione utet, quā  
nōnulli diffinitionē nō recte, Græci τύπον appel-  
lant, ut substātia est, uerbi gratia, homo, equus,  
bos, arbor. Sed de diuisione ac diffinitione satis  
multa. Nunc de obligatiōe nōnulla afferamus.

## DE OBLIGATIONE.

**O**bligatiōe iuniores appellant, cū nec ne-  
cessaria, nec impossibili re proposita de  
ea sic disputāt, ut propositionē custodiāt,  
quā & ob ruditatē, inscitiamq; sordescere iam  
fecerunt, & ad nihil aptā. Thesis ergo quædam  
(quā nos diffinitionē in rhetoricis nominam⁹)  
obligatio est, quā qui defendit, idcirco dicit obli-  
gatus, quod nō licet ei quicquid asserere, quod con-  
tra id quod posuit, esse uideat. Quā ad rē præ-  
cepta etiā quædā afferunt rhetores, mea senten-  
tia utilissima. Nam qui ea negligunt, aut eisdem  
obtorte & nequicquā utuntur, eos uideo tanquā  
E pueros

## DIALECTICA

pueros, aut omnino rudes modo hoc, modo illud inconstanter, ne stulte dicā affirmare. Quod ne tibi uel in sermone, uel in scribendo accidat, primo diligenter caue, ne quod ex re quā iā proposuisti, sequit̄, uel ex ea simul cū uno pluribus uel iam datis ignoranter neges, ut si hominem dixeris, non negabis animal, aut si hominē eloquentē, non negabis prudentē, & si hæc, probū quoq; uirū esse non repugnabis. Contra uero si quid positioni repugnat, aut uni pluribus uel in disceptando, concessis uel quouis modo in sermone datis, semper negandū est. Aliter em̄ nos ipsi causam nostram euerteremus, & ex aduersarij causa nō ex nostra diceremus. Ita eloquentem quē dixeris, ineptū negabis. Nam uero & eloquentē si imprudentem, asserere stultitiæ est. Ad hæc danda est opera ne quid afferas, ex quo alicuius rei quā iam protulisti oppositū eueniat, ut si quem insolentē appellaueris, eundē postea coli ab hominibus affirmes. Sequit̄ em̄ insolentiam, arrogantia, & hanc odiū, quare & insolentiā. præterea si quid ex ijs quæ iam cōcessa sunt, & opposito eius quod abnuis uno, pluribus uel conficitur. Id uero si cū asseueratione magis affirmandū est, ut si quoniā omnes homines naturā eloquētes credis, artificio negas eloquentē, illud constanter proferendū est, nulla te obseruatione ad eloquentiam iuuari. Semper igitur quicquid sequitur ex ijs quæ aut spōte, aut inter-

rogati

## TRAPEZONTII.

rogati dedimus, aut etiam coacti concessimus, aut oppositis eorū quæ repugnant concedendū: uel sponte si perimendū ducimus, spōte negabimus, interrogati non cedemus, nisi res plane sit necessaria, uel impossibilia sint, ex ui consecutionis, uel repugnantix respondendū. Deinde uero si quid eiusmodi sunt quæ iuniores impertinentia dicunt, ex qualitate rerum ipsarū quæ proponuntur respondendū. ac ut per se quod necessarium est nunq̄ negandū, sic impossibile per se nūquam concedendū. Quas ob res ingenio ante totam rem et quidem acriter perspicere debemus, & singula eorum quæ dicimus ita considerāda, ne quicquid ex quacunq; re consequatur lateat. Verū quoniā oratoris materia plerūq; uerisimilis, raro necessaria est, ac uerisimilia in utranque partē nonnunq̄ trahuntur, aut habent ex altera quoq; parte aliquid uerisimile, ut ipsa quæ uerisimilia sunt quandoq; opponi uideantur (ut multi pecuniæ q̄ officij cupidiores sunt. cui opponitur & uerisimiliter dicitur, quis est qui non officij q̄ pecuniæ cupidior sit?) quoniam ergo ita se res habent diligenter animaduertendū est, ne ut ignorantes modo hoc, modo illud in eadē disceptatione dicere uideamur. Quod cū omniū difficillimū in dicendo sit, sit facilius, si finē quo peruenturi sumus mente complectamur, & quicquid dicimus eo dirigamus. Verum ne quis putet hæc præcepta quæ breuiter exposuimus, nō

E z tantopere

## DIALECTICA

tantopere utilia esse, nō grauabor uel ad doctrinam tuā, uel ad rhetoricorum commendationē exemplorū loco ea dicere, quę multi suo & multitudinis iudicio docti cōstanter asserūt. Quos si uidebitur, alijs uoluminibus nominatim redarguamus, ut eorum memoria non ut ipsi putant cum scientię laude, sed cum ignoratię culpa, & quidem quousq; lingua Latina (addā & Græca) extiterit, posteris tradatur. Solent ergo multi Rhetoricę artis iguari nobis detrahere cū eloquentię princeps Marcus Tullius multa uolumina ea de re nobis reliquerit, quo neminem unq̄ melius Rhetoricā docuisse asserunt. Deinde sui obliti cū longius in sermonē processerint, Marcum Tulliū aiunt aliter atq; aliter eadē de re scripsisse, ac in diuersis uoluminibus diuersas opiniones tenuisse. ex quo rudes & agrestes homines, confici non uident, confudisse ipsam rhetoricā, non docuisse. Non dico hæc qđ mihi etiam Marcus Tullius confudisse omnia uideat, sed quod ex uerbis consequatur. Idcirco magis mihi scribendū fuisse uidetur, quod Cicero tot opinioēs (ut ipsi dicūt) sequutus sit, quot libros edidit. Quid? quod Agaso scripsit? Turpe est inquit, Latinis a Græco hoīe. Deinde cū multa uelit ostendere a maioribus nostris relicta de facultate dicendi uolumina, Aristotelem, Hermogenē, Demosthenē, ac Isocraticam scholā in medium adducit, qui omnes quoniam Græci fuerunt



## TRAPEZONTII.

Fun-  
tunt, non dubito quin uideas irretitum uerbis  
suis teneri aduersarium. Hæc adijcere placuit, nō  
ut ignorantiam alicuius detegerem (neminem  
enim nominavi) sed ut intelligas præcepta hæc  
obligationis semper in omni sermone ac discepta-  
tione ac multo magis in scribendo conseruanda,  
Nunquam enim dicere cum assèuatione pote-  
ris (quod Cicero admonet) nisi quæ dicta sunt,  
faciliora tibi exercitatione feceris. Nam qui hæc  
negligunt, eos uideo alioqui doctos, ea ignoran-  
tia sua scripta connectere, ut non pudore affici  
nō soleam, quando cum huiusmodi hominibus  
sermo habetur. Quos si quis reuocare ab erratis  
uellet, non sui uel doctrinæ ipsius gratia, sed in-  
tolerabili quadam arrogantia id eum facere pu-  
tarent. Quare putrescant hi quidem sua inscitia,  
quamuis doctis om̄ibus atq; peritis dede-  
cori sint, cum inter eos enumerentur.

Tu uero da operam, ut nō hæc

solum, uerū ut multo ma-

iora & plura conse-

quaris. ut ra-

tione

discendi recte habita, & maiorum

scientia rerum non abiecta,

uere doctus & sis

& uidea-

ris.

E 3

## DIALECTICA

Verum disiunctivæ partium repugnantium  
& copulativæ affirmativæ & negativæ formæ  
quæ subijciuntur necessariae sunt.

### FORMAE DISIUNCT.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 Aut a est aut b est. 12 b autem est,<br/>atqui a est. igitur &amp; a est.<br/>non igitur b est.</p> <p>2 b autem est,<br/>non igitur a,<br/>atqui a non est</p> <p>3 b igitur est.</p> <p>4 b autem non est igitur est a.</p> <p>5 a nō est aut b nō ē. atqui a non est,<br/>est igitur b.</p> <p>6 atqui b non est,<br/>est igitur a</p> <p>7 a autem est<br/>b igitur non est.</p> <p>8 b autem est,<br/>non igitur est a.</p> <p>9 a est, aut b non est,<br/>atqui a est,<br/>igitur &amp; b.</p> <p>10 b autem non est,<br/>neq; igitur a.</p> <p>11 atqui a non est,<br/>igitur neq; b est.</p> | <p>13 a non est, aut b est,<br/>a autem non est,<br/>igitur neq; b</p> <p>14 b autem est,<br/>igitur &amp; a.</p> <p>15 atqui a est,<br/>non est igitur b.</p> <p>16 b autem non est,<br/>est igitur a.</p> |
|---|---|

### FORMAE CO- PV. AFFIR.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 Et a est, &amp; b est,<br/>igitur a est,<br/>igitur b est.</p> <p>2 igitur b est.</p> <p>3 Neq; a ē, neq; b est,<br/>a igitur non est.</p> <p>4 b igitur non est,<br/>a est, &amp; b non est,<br/>a igitur est.</p> <p>5 a est, &amp; b non est,<br/>a igitur est.</p> <p>6 b igitur non est.</p> <p>7 a non est &amp; b est,<br/>a igitur non est.</p> <p>8 b igitur est.</p> | <p>1 Et a est, &amp; b est,<br/>igitur a est,<br/>igitur b est.</p> <p>2 igitur b est.</p> <p>3 Neq; a ē, neq; b est,<br/>a igitur non est.</p> <p>4 b igitur non est,<br/>a est, &amp; b non est,<br/>a igitur est.</p> <p>5 a est, &amp; b non est,<br/>a igitur est.</p> <p>6 b igitur non est.</p> <p>7 a non est &amp; b est,<br/>a igitur non est.</p> <p>8 b igitur est.</p> |
|---|---|

TRAPEZONTII.

FORMAE CO.		a igitur est.
PV. NE.	¶	non a est, et b non ē,
1 Non a est, & b est,		atqui est a,
atqui est a,		b igitur est.
non igitur est b.	¶	sed non est b,
2 atqui est b,		neq; igitur a.
non igitur a.	¶	nō a nō ē, & est b,
3 nō a nō ē, & b nō ē,		sed a non est,
sed a non est,		igitur neq; b est.
est igitur b.	¶	atqui est b,
4 sed b non est,		igitur & a.

Pro disiunctiua & Copulatiua  
negatiuis regulæ  
quatuor

- 1 Si ponis antecedens, tollis adiunctum
- 2 Si ponis adiunctum, tollis antecedens
- 3 Si tollis quod antecedit, ponis adiunctum.
- 4 Si tollis adiunctum, ponis quod antecedit.

Pro Cop. affir. Regula una.

Copulatiua affirmatiua & antecedens  
& disiunctum ponit,

F I N I S.

צִיר אֲמוֹנִים לְמַרְפֵּא:

Οἱ κείνοι τὴν ἐξουσίαν ἔχουσιν ἐπιφέρει τὸν ἄνθρωπον ἐν τῷ σώματι.



Ordinum ut sit mens sana in corpore sano.

Αἰὲς: ΗΥΓΙΝΗ: Ε. Θ. Ἄ::

Excusum Coloniae apud Ioannem So-  
terem, impensis integerrimi Bi-  
bliopolę Godefridi Hittor-  
pi ciuis Coloniensis.



AB: 154195

X 1387307





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

